







Sig X 7 (blank)
pasted to back cover
X 8 (blank) wanting



AD

BIBLIOTHECAM

PRINCIPALEM

ARAVSIO - NASSAVIENSEM

DILLENBVRGICAM.



NYMPHÆVM

BEATISSIMÆ VIRG: MARIÆ FABARIENSIS.

Siue

TRACTATVS DE CELEBERRIMIS FABARIANIS THERMIS, VULGO PFEFERS BAD, IN SVperiore Heluetia, Medelâ, Situ & Naturâ planè admirandis:

DEQVE EARVNDEM THERMARVM EX PROFVNDISSIMA, PERICVLOSSIMAQVE ſpecu in apricum atque amœnum locum nupera, eaque feliciſſimâ Deriuatione.

AVCTORE

REVERENDO P. F. AVGVSTINO Stöcklin Cœnobita in Mure, SS. Theologiæ Baccalaureo.


DILINGÆ,


TYPIS ERHARDI LOCHNER.

ANNO *M. DC. XXXI.*



Beatissima Virgo MARIA Fabarienſis.
Salus infirmorum
Conſolatrix Afflictorum.





Censura & Approbatio.

INTER mirabilia præpotentis DEI opera & munera in primis mirandæ & Celebrandæ Thermæ Fabarienses, vulgò Piperinæ, sitæ in superiore Heluetia ad perantiquum Ordinis S. Benedicti cœnobium, DEO in memoriam Beatissimæ Virginum Virginis MARIÆ in cœlos assumtæ sacrum. Quarum Thermarum inuentio, Origo, Situs, recens ex horribili & periculoso antro in tutam apricamque planitiem Deriuatio, Medica vis, Vsus, Effecta, Leges accuratè, fideliter ac piè à Reuerendo in Christo Patre & religioso viro F. Augustino Stöcklin eiusdem Sanctissimi Ordinis Cœnobita Murensi, SS. Theologiæ Baccalaureo Biblico & Formato descripta & explicata, volente iubente earundem Thermarum Domino Reuerendissimo in Christo Abbate Fabariensi Illustrissimo S. R. I. Principe IODOCO, magna cum infirmorum vtilitate in publicam lucē per typos nostros emittuntur. Dilingæ die 31. Iulij Sancto Patri nostro Jgnatio Festa, Anno Redemptionis 1631.

Christophorus Steborius Societatis Iesu, SS. Theologiæ Professor Ordinarius & Vniuersitatis Dilinganæ Cancellarius.





LAVS DEI EVCHARISTICA ET EIVSDEM INVOcatio, Pro Fabarianis Thermis.

BENIGNISSIME DEVS, Tibi omnium bonorum Liberalissimo fonti ac Largitori, ego vilissimum atque indignissimum plasma, quantas maximas possum & valeo, ex toto corde, tota anima, menteq; & omnibus meis viribus ago gratias pro omnibus beneficijs, quæ hucusq; immerito & ingrato hominum generi clementissimè indulsisti: nunc autem præcipuè; quod adeò amanter, ad Fabariensem tuum Fontem ex formidabili & ruinoso barathro pro omnium ægrorum salute commodius deducendum, bonas nonnemini nuper cogitationes inspiraueris, opusq; ipsum Sanctissimi Nominis tui diuino auspicio captum tam spectabili gratia atq; auxilio perfeceris.

Spiritus

Spiritus tuus Sanctus, qui iam à Mundi exortu super aquas ferebatur, tantas huic Fabarinæ Scatebræ & tam mirificas impertijt Virtutes, ut propè nullus mortalium reperiatur, quin ex illius usu optatam curationem sanitatemq; sit consecutus. Tu Domine sanasti has calidas aquas. Tua inibi sunt semitæ & mirabilia magna nimis. Tu purissimas reddidisti & flummina quasi oleum adduxisti, nimirum ut hoc salutis oleo inuncti, ab infirmitatibus citius simul ac suauius curaremur; & hac aqua lauaremur in salutem. Posuisti illic piscinam in qua & hactenus iam sæpenumero iacuit, ac etiamnum iacet maxima multitudo languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, &c. qui ad motum Angeli tui quem huic fonti assignasti sani efficiuntur à quacunq; detinentur infirmitate. Effudisti ibi aquam mundam, ut lauentur & mundentur homines restituta carne sicut pueri paruuli.

Gen. 1. — 4. Reg. 2. — Ezech. 32. — Ezech. 16. — Ioan. 5. — Ezech. 36. — 4. Reg. 5.

Hæc stupescenda tua magnalia Ter Optime, Ter Maxime DEUS, multo maximus ægrotantium numerus sæpe quidem inaudijt, sed enim plurimi ob loci horrorem, quem tu tamen ex immensa bonitate, sine Conuenarum damno ad hæc usq; tempora potenter sustentasti atq; conseruasti, introgredi non ausi, experiri ac sentire nequiuerunt, humano hoc timore infælices. Hinc multorum ad Te in Cælum ibant vota, ut tantus Thesaurus commodiore loco, usui esse posset. Audisti

Num. 20.

disti Piissime DEVS, clamorem huius populi, &
Iudic. 5. aperuisti eis Thesaurum tuum Fontem aquæ viuæ: immo aquam petenti, lac (consolationis) dedisti. Ditasti profectò ingenti nos beneficentiâ dum his ipsis nostris diebus, saluberrimam vndam à Scaturigine, medicè calidam extra horri-
Psal. 17. bile antrum Clementissimè deriuasti: Iam Fon-
Psalm 77. tes aquarum apparuerunt. Adaquasti nos anteà in Abysso, at modo petram interrupisti &
Psal. 103. eduxisti tanquam flumina aquas, emittens Fontes in conuallibus, vt inter medium vastissimorum Montium prosperrimè aquæ pertranseant. Nunc tandem isti tui Fabarini Fontes deriuantur foras, & in plateis diuiduntur. Flauit e-
Prou. 5. nim Spiritus tuus, & fluxerunt aquæ. Ecce
Psalm. 147. ego sto propè Fontem aquæ, & laudabo nomen
Gen. 24. tuum Domine. Domine labia mea aperies &
Psal. 50. os meum annunciabit laudem tuam. Clama-
Psal 56. bo ad Te qui benefecisti nobis, ideoq; labia mea
Psal. 62. laudabunt Te. Ego sum, ego sum qui Domi-
Iudic. 5. no canam & psallam. Exaltabo Te DEVS
Psal. 144. meus Rex, & benedicam nomini tuo in sæculum, & in sæculum sæculi. Quid enim dignum poterit
Tob. 12. esse beneficijs tuis, tam magnis, tam nouis? Ea-
Psal. 33. propter benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Lauda anima mea
Psal. 145. Dominum, laudabo DEVM meum in vita mea. Benedic anima mea Domino, & omnia
Psal. 10. quæ intra me sunt nomini sancto eius. Benedic anima

anima mea Domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius, qui replet in bonis deſiderium tuum. Eya benedicite mecum, omnia opera Domini Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula. Benedicite Maria, flumina & fontes, Montes & colles Domino, laudate eum omnes Virtutes eius, laudate eum Cæli Cælorum, & Aquæ omnes quæ ſuper Cælos ſunt, laudent nomen Domini. Quia ipſe dixit, & facta ſunt. Quid autem dixit DEUS noſter? Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis. Hoc dixit Magnus Dominus & laudabilis nimis; & factum eſt ita. Dan. 3. Pſal. 148. Gen. 1.

Laudate, Laudate mecum Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi: quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius. Benedicite DEUM Cæli & coram omnibus viuentibus confitemini ei, quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam. Pſal. 116. Tob. 12.

Adorate eum qui fecit Cælum & terram, Mare & fontes aquarum. Date gloriam laudi eius, & auditam facite vocem laudis eius, narrantes laudem Domini, qui eſt maior omni laude, laudabilis & glorioſus & ſuperexaltatus in ſecula. Laudate Dominum Deum noſtrum qui non deſeruit ſperantes in ſe, & in ſeruis ſuis adimpleuit miſericordiam ſuam? Confitemini illi quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius. Laudate Dominum de Cælis, lau- Apoc. 14. Pſa. 65. & 77. Eccleſ. 43. Pſal. 55. & 56. Iudith. 13. Pſal. 148.



date eum in excelsis, laudate eum omnes Angeli eius. Iuuenes & Virgines, senes cum Iunioribus laudent nomen Domini, laudent nomen eius in choro, in Tympano & psalterio psallant ei.
Tob. 8. *Benedicant Te, ô DEVS, Benedicant Te, sæpius ingemino, Cæli & terra, Mareq; & fontes & flumina, & omnes creaturæ tuæ, quæ in eis sunt: sed iÿ potissimũ homines, qui tuo gratiosissimo munere, hoc nouo, noui Fontis Nymphæo vtuntur,*
Luc. 17. *grati illius Samaritani instar, qui se mundatum videns, rediÿt cum magnâ voce Te Domine magnificans.*
Psal. 105. *Nemo Te irritet ad has Aquas sceleribus, flagitiÿs, vllisúe offensionibus: omnes ti-*
Psal. 76. *meant, quando & ipsæ aquæ Te viderunt & timuerunt.*
Prou. 14. *Timor namq; tuus Fons vitæ est, vt declinet à ruina mortis.*
Psal. 28. *Sonet vox tua super istas aquas, vt cuncti intelligant, apud calidam hanc scatebram reperiri aquam sapientiæ saluta-*
Eccles. 15. *ris, pro corpore pariter atq; animo: ne quis dum in carne sanatur, animo desipiens languescat, aut grauiori noxâ penitus enecetur; sicq; pro honore ac beneficio isto, tali, tanto, Tibi reddat contume-*
Eccles. 29. *liam: potius vero ibidem factus sanus non am-*
Ioan. 5. *plius peccet, ne deterius sibi contingat.*

Longè absit, ô Domine à nobis eiusmodi ingratitudo, quam in leprosis adeo tulisti ægrè, vt dixeris: Nonne decem mundati sunt, & nouem
Luc. 17. *vbi sunt? Non est qui rediret & daret Gloriam DEO.*

Gratias



Gratias immortales, & sempiternam Tibi laudem debemus: at quantillum eheu! immò quam nihil possumus! Cælum animo saltem conscendere oportet, omnesq; beatos illius Ciues, præsertim autē Te Beatissima DEI genitrix MARIA Virgo, Augustissima Domina & mea Clementissima Mater, ob, & post IESVM Christum æterni Patris, tuumq; Filium maximè laudabilis, humillimè & ardentissimè compellare ac precari vt cum illis superûm Choris Tu (cuius in suauissimam dignissimamq; memoriam ist hoc ego nouum Fabariense Nymphæum per Te vniuersi Domino, Ipsi debitum, demisissimè supplex quà possum, dico, consecro, atq; offero) Eundem, meâ & Mortaliū omnium vice, laudare, benedicere atq; magnificare velis, tantò in laudum præconio futura acceptior, quātò dignior inter omnes puras emines Creaturas. Tu porro ô DEVS Cælorum, & Creator Aquarum, exaudi me miserum deprecantem, & de tuâ misericordiâ præsumentem: conserua hunc fontem, in illa, quam ei indidisti, virtute ad humanæ necessitatis atq; infirmitatis efficacem medelam, ægrotorum solatium & salutem; Concede, obsecro, vt domus & habitatio noui Fabariensis Balnei in sanctificatione tua permaneat, & omnes gentes cognoscant, quia Tu es DEVS: Erit enim hoc memoriale Nominis Tui & Clementiæ Tuæ. **Iudith. 9.**

Nunc igitur Domine, Sermo quem locutus **1. Paralip. 17.**




es famulo tuo, & super domum eius, confirmetur in perpetuum, permaneatq́ʒ, & magnificetur nomen tuum vsque in sempiternum. Tu Domine DEVS meus reuelasti auriculam serui tui, vt ædificares ei Domū, & idcirco inuenit seruus tuus fiduciam, vt oret coram Te. Nunc ergo Domine, Tu es DEVS, & locutus es ad seruum tuum tanta beneficia. Et cæpisti benedicere domui serui tui, vt sit semper coram te; Te enim Domine benedicente, benedicta erit in æternum.

Visita, protege, tuere & benedic habitationem istam, cum omnibus habitantibus in ea, & omnes omnium inimicorum insidias procul auerte. Angeli tui Sancti habitent in ea qui nos in pace custodiant & vnà incitent vt sani, ægri, viuentes morientes ac tandem clementissimà
Isai. 6. *Tuâ misericordia in Cælesti Paradiso Beati, diuinum illud Trisagion, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth, Tibi cum ipsis æternùm fælicissimè concinamus. Amen.*

Apoc. 7. Benedictio & claritas & sapientia & gratiarum actio, Honor & Virtus & Fortitudo DEO nostro in sæcula sæculorum. Amen.

Ita orat, ita vouet Abbas Fabariensis. F. JODOCVS.



IN FABARINAS NYMPHAS.

Felices Nymphæ, tenebris quæ nuper abactis
Nunc lucem *gemini munere Solis habent*:
Has, ipso Plutonis enim IODOCVS, ab antro
In claram, Fabri transtulit arte, domum:
Sed magis inde auidæ totum cursare per Orbem,
Isto etiam claudi non voluêre loco.
Ergò AVGVSTINVS latum quò erumpere possent;
Hocce, libri docto flumine, fecit iter.
Munera sic Nymphæ terris noua fonte ministrant:
Posse tamen, *gemini munere Solis habent*.

P. Dominicus Tschudi,
SS. Canon. Licentiatus Ord. S. Bened. in
Mure Presbyter.

AD

AD R.mum FABARIÆ ANTISTITEM JODOCVM.

ESSE tuas Alpes tantū qui dixerit, errat:
Deq; tuo, Præsul, fallitur imperio.
Diues, nam quod habet Tellus, tibi contulit, & se
Præbuit eruptis prodiga visceribus.
Hîc dat Crystallum, fert illic pondera ferri,
Euomit hîc Thermas Lympida vena suas.
Hîc salebrosa parit lapides salis vndiq; plenos,
Monstrat & hîc rubeum rufea Petra cuprum.
Quid loquar? hæc terris multos latuere per annos
Abdita sed tandem, Te dominante, patent.
Felix IODOCO, nimiumq; Fabariâ felix!
Prô nimium Tellus pignore fausta suo!
Da quod habes reliquū, Tellus, salis, æris & auri,
Ne rea sis furti, da quod habes reliquum.

P. Martinus Stöcklin, Ord. S. Benedicti Disertinæ apud Rhetos Sacerdos, Auctoris Germanus allusit.

IO-






IODOCVS PRINCEPS COE-NOBII FAVARIENSIS.

Αναγραμμ.

O priſco fauens ioco! an ſis ibi penu? ride ioco.

SEu te priſca iuuat per ſeria ludere Princeps,
Prudenter priſcis ſiue fauere iocis;
Se ſtupet in vitam, per Te, veneranda vetuſtas
Reſtitui, & tales iactitat ore ſonos.
Balnea Romanis felix, mirum! æmula priſcis
Heroa nouiter ſedulitate ſtruis:
Quales Mæcenas, & Aggrippa, alijue Quiritũ
Gnari inter lætos, ſeria ferre iocos,
Et præſtare iocos alijs per ſeria gnari,
Queîs fuerat fontes ædificaſſe iocus.
Hos ridente ioco ſuperas, tua Balnea quando
Munificus dotas fertiliore penu.
Sic qui Delicium, Te dixerit eſſe, probatur;
Deliciæ es Priſcis, Deliciæq́ue nouis.

Presbyter Adrianus Bachman Glaronenſis.

AD R.dum ET EXIMIVM P. AVGVSTINVM STÖCKLIN AVCTOREM.

ODE.

IAm prisca Fabulositas
Miràcla iactitare
Dedisce, quæ silentio
Sunt tecta sempiterno.

Babylonis alta mœnia,
Latoidisq; Tempe,
Eburnus ipse Iupiter,
Memphyticaq; moles,

Phœbi Colossus Lyndij,
Et Caricum sepulchrum,
Gemmata Cyri Regia,
Ostenta vanitatis;

Euersa sunt, ac diruta
Suis iacent ruinis,
Et somniorum somnia
Fuisse nunc videntur:

Miranda quisquis suspicis,
Stupescis & stupenda,
Adesto; pleno Copiæ
Cornu hic liber Ministrat.

Spectamus hîc spectacula
Naturæ, & Artis ampla,
Miramur hîc miracula
Miranda Miriones;

At vera, non vmbratica
Mansura, perstitura;
Celebriora cæteris
Nymphæa Fabarina.

Durationem contulit
Et æuiternitatem;
Pecuniosis Balneis.
Non architectus audax,

Non



Non sumptuosa scrinia
Non prouidus repertor,
Sed vna penna Nobilis,
Durabilis nec ipsa.

O mi caput charissimum
Augustine! fide Thesēû,
Pennæ tuæ, magis tua
Hæc æuiterna laus est.


O viue longa sæcula!
Et Nestoris senectam!
Post fata mox Olympicis
In sedibus futurus.

Si quid vouere possumus,
Optare & adprecari,
Hæc vota pro te fundimus
Ardente amoris æstu!

P. Willhelmus Ionas á Buoch, Ord. S. Benedicti, Fabarię Cœnobita Presbyter.



RE.



REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISSIMO DOMINO, DOMINO IODOCO S.R.I. PRINcipi, Monasterij B. MARIÆ Virg. apud Fabarias Abbati Dignissimo, Dño suo Obseruandissimo A DEO DEIPARAQVE æternos Annos.

Reuerendissime Præsul, Illustrissime Princeps.



VPER ET Olim Complures Thermarum Fabariensium gloriose meminerunt. Qui accuratiùs

ratiùs ſingula ſcriptitârit, nemo apparet vſpiam. Auſus ſum ego poſtremùm enarrare ſuper huiſce ſuapte naturâ calidi Fontis, Dominio, Inuẽtione, Situ, Vi medica, Miraculis, Vſu, Legibus, & (quod caput nullusq́ue retrò nos mortalium præſagijt) ſtupenda eiuſdem ad commodiora loca foras Antrum Traductione, tuo magnifico auſpicatu, facta. Ea cùm ægris hominibus, tum curioſis illic balneantium animis, vti ſpero minimè erunt ingrata.

Superiori ſeptennio quo vobiſcum Fabariæ eram, auidè & ſolerter eiuſmodi Thermarum ingenium, & quasli-

libet Fontis & loci conditiones inter & præter alia peruestigaui vt neque mirum ſi minuſcula cum grauioribus, obuia cum abſtruſis in lucem à me proferri videant. Auditionum fui minimè facilis, examinis porrò & veri diligens. Sed de induſtriâ meâ, dexteritate & Fide penes R.mam V.ram Amplitudinem cenſura & iudicium ſunto. Conatum & laborem pauci forſan reprobabunt, quidam admittent, commendabunt, tuebuntur. Id quod operæ meæ pretium fuerit.

Opuſculum autem vt R.mæ Tuæ P.ti demiſsè inſcribam, cuius & hortatu illud potiſſimum

mum Fabariæ elaboraui, præterquam quod Fontis & Thermarum Dominus ſis, & te attineat, multa me impellunt. Sanè beneficia tua, reliqua tranſilio, immò & tuorum expertus ſum plurifariàm ex quo pedem primum intuli & poſui in Fabarienſi Veſtro Cœnobio. Quicquid dici, fieriq́ue poteſt à vobis, mihi dictum & factum. Tu me inprimis, ante & poſtquam ſolium gloriæ adeptus, cum Principibus collocabaris, velut germanum fratrem, adminiſtrũ tuæ functionis, & quaſi alterum Teipſum tractitabas, patiebaris, ne dicam maiora, vt Maiorem coluiſti. Quoties illò ad

te redeo! quoties sermones, & adfectus ruminor! tuam autem pręcipuè eruditam comitatem, oris facundiam, acrimoniam sensus exuberantem! quam nuper etiam regustaui, bonâ Fortunâ Fabariam reuisens. Istammet ego lucubrationem qualem qualem obsequij mei erga te & gratæ mentis argumētum Celsitud. Tuæ devotus adstituo ad ipsius quoque tui Venerabilis Conuentus cultum & honorem sempiternum pono & dedico. DEVS & DEIpara (quos supplex alloquor) te in laudabili illa Virtutum operumque tuorum memorabilium fama diu conseruent incolumem:
Vene-

Venerabilem itidem Cœtum tuum, & numero, & merito, omnique bonorum genere magis ac magis augeant, & æternùm sospitent in Cœlo. Die 26. Maij. Anno Gratiæ M. DC. XXXI.

Ex Mure Ord. S. Benedicti Monasterio, apud Argoios in Heluetia, Scripsi & Voui.

R.mæ P.tis & Amplitud. Tuæ

PP.mus in Christo Seruus

F. AVGVSTINVS Murensis Monachus.



DE CELEBERRIMIS FABARIÆ THERMIS Proloquium.



VONIAM INFINITæ ægritudinum species, humanam labefactant conditionem, quæ sui tum pluralitate, tum nouitate & contumacia Medicorum eludunt ingenia, cæleste Numen, à quo omnis medela, ex Thesauris terræ salubres aquarum fontes, tum acidos, tum feruidos scaturit insolitis morborum generibus medicabundos Inter eos fons Fabariensis, cui Europæo sub Sole vix quidpiam par apud gnaros Medicos, vt plurimum vniuersis antehabetur. Nobile illud & magnificum DEI donum, vastissima de rupe, in horrenda, & formidabili specu, ad multiplicem mortalium, pauperum & locupletum publicam salutem, adeo stupendo erumpit atque operatur modo, vt illud peridonee accommodes: Gen. 1. v. 2. *SPIRITVS DOMINI FEREBATVR SVPER AQVAS*

QVAS



QVAS Veteres Romanorum Balneæ in prouinciarum & vrbium speciem fabrefactæ laudantur, à marmorum pretio, ædificiorum magnificentia, luminis immissione, argenteis epistomijs, vnguentorum sparsu, gemmarum apparatu, balneantium chyliadum frequentia, Fabarienses Thermæ admiranda & inscrutabilia DEI opera, non solùm quoad situm, verùm etiam & inprimis respectu facultatum gloriosiùs celebrantur, ita vt meritò MIRACVLVM NATVRÆ propter situm, donum vero immensum ac maximum DEI, ob admirandas earum facultates, secretas & absconditas operationes censeantur; Marmorum, luminis ædiumq́; defectum decuplo compensat Thermarum salubritas. Ex ijs cùm ægrorum sint asylum, & magnale DEI obstupescendum, cùm infirmis valetudo, tum gloria Fabario promanat.

Sed inter tot miranda, subijt illud mirarî, nondum fuisse, qui adamussim scripto complecteretur, cum locus noster cæteroqui in multa apud domesticos & exteros sit fama, & inclytus prodigys, quæ fons Thermarum à multis seculis hic patrat.

Scriptores & Scripturæ.
Hoc opusculo Citt:

ABb: Fabarien. modernus Chriâ manu scripta, &c.

Ægidius Tschudi descript. Rhæt. c. 20.

 Andreas



Andreas Baccius l. 6. de Thermis.
Carolus Paschalius Gallicus ad Rhætos Orator apud Gul: l. 6.
Caspar Brusch: Chronolog: Monast: de Fabaria.
Felix Malleolus Canonicus Thuricens. l. de Therm. Naturalibus.
Fridericus Fornerus Suffragan: Bambergæ in Psal. 50.
Gabriel Humelberger ad Rulandum notis.
Gallus Eschenreuter Argentoraten. Med. Anno (1571.
Guler. li. 6. de Rhætia fol. 81. apud me.
Gulielm. Fabritius Hildanus Medico-Chyrurg: Bernæ Epistola ad Paul. Croquer: polonum de Therm. piperinis Anno 1629. Impress.
Hippolytus Guarinonius Halæ Med. Epist. M.S.
Io: Bayer Notarius Fabariæ Epistola de translat. (Therm.
Leonardus Fuchsius Medic.
Martinus Rulandus Hydriatices verbo piperinæ.
Mẽbranæ & chartæ Fabarien. Archiui, Scrinio.
Pfefers, Ragatz, Freyheitsbrieff.
Pantaleon in Birchtilone Abb: Fabarien:
Paulus VVickhard Medic. Tugiens: Epistola ad me. Anno 1631.
Stumpf Annalium Heluet. l. 10. de Fabaria.
Sprecher l. 3. Pallad: Rhæticæ.
Theophrastus Paracelsus ab Hohenheim, aliàs Philippus Bombast, Heluetius, l. 6. de Therm. Fabar.
Zacharias Belli à Bellfort Fabariæ & Curiæ Medicus.

PARS





PARS PRIOR.

DE ANTIQVIS FABARIÆ THERMIS.

Caput I.

DE DOMINIO ET INVENtione Thermarum.



ABBAS Fabariæ, vniuersorum ſuæ ditionis fundorum, Imperij Romani Auctoritate iam olim ab multis ſæculis abſolutus Dominus & Princeps fuit: attinent enim ad eum territorij ſui homines ſeu In-

çolæ, iura Foreſti, aucupium, piſcatio, ius decimandi, lignandi iura, alpes, Syluæ, luci, paſcua; inſuper eiuſdem fuêre & ſunt

Argenti riui, æriſque metalla, & vniuerſæ venæ metallicæ, omnesque Fontes, frigidi atq; calidi, & mineralia omnia, quæ inter fructus terræ, apud iuris conſul: Regalibus adnumerata ſunt; immò quicquid atteſtante libro Aureo, olim Dominij nominibus comprehendi potuit: quodquāplurimis Pōtificū, Imperatorū, aliorúmue teſtimonijs, exemplis & Diplomatibus, necnon ex alijs Monaſterij incorruptis monumentis doceri poſſet, niſi iam ſatis ferè ad omnes palam eſſet.

Quare cum metallicæ venæ, maximæ ſint æſtimationis, difficilis ac rariſſimæ inuentionis, quibuscum Fontes etiam medici connumerantur, quæ omnia & alia quoq; his ſimilia ab ipſa Natura, non priuatis

vſibus, ſed in Ius publicum inſtituta cognoſcuntur, ideò & Thermarum harum nemo niſi Fabarienſis Abbatiæ Antiſtes, Dominium ſibi vendicare poteſt. Hunc talem à prima ſui Inuentione attinuerunt; de qua quidem Auctores multifariàm opinantur.

E cæteris quidam grauior, mihi in calamum ita dictauit mentem ſuam Præpoſitus S. Geroldi, Anno 1627. in Monaſterio Frieſe in Valle Druſianâ ad S. Geroldum P. Chriſtophorus Hartmannus Einſidlenſis Cænobyta, hyſtoriarum peritiâ clarus ſenex: Aquæ Fabariæ Thermæ ſuapte naturâ calidæ ſunt, non procul Fabario in valle, in loco horrido, qui vix deſcribi poteſt, frequentiâ Nobilium & ignobilium celebres circa annum 1038. ab Abbatis venatore, genere, **der Vogler**/repertæ, qui eo in loco ex preruptis ſaxis coruorum pullos abduxit, animaduertitq;

Thermarum Fabarienſiũ inuentio.

titq́; magnas fumi & vaporum exhalationes, funibus ſe dimiſit reperitq́; Thermas eſſe. Fabariæ loci nemo hactenus ſatis pro dignitate meminit, meritiſq́; celebrauit laudibus quãdo cùm Antiſtites, tum reliquos, quos habuit denſo agmine, ſummo ſplendore, prudentiâ, pietate & religione viros feliciter produxit. Vnde ex eo tanquam ſeminario non pauci poſtea ad Reipub: clauum aſſumpti. Totidem Venerabilis Præpoſitus.

Monaſteriolog. c. de Fabaria. Caſpar Bruſchius in Fabarienſium Abbatum ſyllabo: Hugo de Villingen, inquit, præfuit anno Chriſti circiter 1240. de quo nihil in faſtos relatum quam quòd ſub eius gubernatione inuentæ ſint Thermæ ab Abbatis aucupe. Conſentaneè ferè Bruſchio ſcribunt Ægidius Tſchudi Glaronẽſis, Heluetiorumq́; ac Rhætorum Annales vt videre eſt apud Stumpf. Guler. & Sprecher. & porro

In deſcript. Rhæt. C. Fabium. Lib. 10. Lib. 6. Pallade Rhætica.

rò vniuersi regionis & gentis antiquitatum periti Scriptores in eam modo conspirant sententiam, idque ex Fabariæ veteribus documentis, quæ nobis interciderunt haustum apparet. Et nostra hodie mens ea est, vt Thermas sub Annum Christi 1240. nō tam primò inuentas, quàm casu quodam antea irascente Numine hominum vsui subtractas, tum demum miserante DEO denuò repertas fuisse existimemus. Felix Malleolus æuo suo pretiosus, nobis amplissimè attestatur Anno 1440. luculenter scribens hisce verbis: Quæ quidem Aqua calida quondam (haud dubiè dudum supra auorum suorum memoriam) secundū Chronicas scaturizabat in sinu Montis excelsissimi & per annos ducentos nunquam comparuerat, & demum casualiter reperta fuit prope ibidem in profundissima valle &c. Cum autem Archiuum Fabariense ex alio

in

in aliud ſeculum non obſcurè contineter ab Anno Domini 1300. & fortè ſupra ad noſtram vſque ætatem cõmemoret celebres retro fuiſſe & frequentatas Thermas, neceſſum eſt aliquando eaſdẽ, ante Annum 1240. per duo ſæcula amiſſas ac deniq; rurſum eo Anno detectas eſſe: ante annum verò Saluatoris Milleſimum euanuiſſe. S. Geroldi Præpoſitus parum diſſidet, ratus primo inuentas Anno circiter 1038. cæterùm mihi, vt liberè efferam, omnium primus Thermarum Inuentor aut inuentionis Annus hactenus irrepertus eſt. Abbatis verò Aucupes & venatores fuiſſe Thermarum Repertores hinc autumamus, quod illic Iura Foreſti, vt vocant, ad Loci Abbates liquidò tum ſpectarint, alijſque in illo ſaltu ferarum feraci ſeu venatum ſeu aucupatum ire nefas fuerit; Erat id temporis vaſtiſſima ſylua, & ſtabula alta ferarum.

Carolum ab alto Balcono Thermarum inuentioni interfuiſſe nec quod affirmem, neq; quod abnuam habeo. Huius familię Nobiles penultimo ſeculo, in Thermis hoſpitia poſſediſſe, notum eſt, & vicum Valenz Thermis vicinum diutius incoluiſſe, atque illic poſtremum eius ſtirpis, Bartholomæum Carlet Anno Chriſti 1617. die 12. Iunij defunctũ, ſæpeq; per ſuos Thermas inuentas, gloriatum eſſe, incolæ cum Rhæticis ſcriptoribus teſtantur.

Inuentores, quicunq; ſint, laude, & gloria immortali dignos celebro. Itum deinceps à pluribus in viſcera petrarum detecta ſcaturigine, quasque recondiderat, ſtygijſq; vmbris, natura admouerat, aperiuntur opes, medicamenta morbormu, ſuſcepit atri ſpecoris horror deinde paulatimcateruas tremebundorum hoſpitum.

Serioribus verò demum ſeculis Thermas

Thermas noſtras rurſum detectas eſſe, eas ob cauſas exiſtimo, quas cordati mecum ſitu & genio loci, tum intra tum ſupra fauces, ritè contemplati, vix reprobabunt.

Ea omnis petrarum ſuperficies & ſciſſura, quam hodie ex antro, viſu aſſequimur, & quà Thermis Sol & Luna immittuntur, ante quadringẽtos annos ſaxea & terrea mole continens, & contigua extitit, imminẽteſq; balneo ſummas rupes ita agger quidam coniunxerat, vt cauernam ipſam occultaret. Porrò aquarum alluuies, fontium & riuorum glacialium decurſus, temporum lapſu paulatim, gutta enim cauat lapidem, eam molem terræ ſaxorumque perrodendo exedit, diſcuſſit, diſſipauitque vnde decidentibus ijs obſtaculis, Thermarum vapor, commodiùs foras proſpirauit, itemq; calentium aquarum Fons nebuloſa ſua perenni exhalatiõne adiumento fuit, quo citius

Lapides excauant aquæ & alluuione paulatim Terra conſumitur. Iob 14.

tius iniecta saxorum, terrarum, syluarumq; moles irrueret, fluore continuo putrefacta, & proinde Thermæ facilius iam tum deprehendi valuerunt.

Opinioni nostræ exertim consentit Felix Malleolus cantor Thuricensis cuius verba alio loco appono. Consentit & liber de Thermis Galli Eschenreüter Medici, Argentorati. 1571. impressus, qui planitiem quandam Thermarum antro in rupium supremitate incubuisse scripsit, Lympharum illuuie & glacialium riuorum allapsu tandem corrosam indeq; Thermarum fauces mũdo patuisse docuit. Roborat opinionem nostram præcipuè illud. Ab Thermarum hospitijs, si quis secundo amne septentrionem versus recta intra ipsas fauces & angustias processerit, superficiem proximam petrarum, ingenti saxorum, cespitum arborumúe mole pluribus lo-

cis, velut ponte adeò coopertam reperit; vt Cæli conspectum omnem aufferat, & tutum vltrò citroq; transitum in summitate præbeat. Alicubi verò aggerem impositum torrentium affluxus, & glacialis aquæ morsus ita perforat, vt paulatim moles transpareat, diminuaturque, & forsitan ipsa vetustas omnia abolebit. Sin autem rursus supra fauces è villula Valenz recta per conuexam valle,veteri viâ, quæ ante 88. annos periculoso itinere ad Thermas vehebat, orientem versus Fabariam transeamus, quod ab indigenis & à me ipso aliquando fit, petrarum mole stratum in fastigio Torrentem offendimus, idque compluribus locis, eos tamen aggeres, ex eminentioribus petris allapsos etiam siluescentes, senium paulatim corrumpit, & in alueum torrentis deponit. Modò eadem de causa Thermarum centrum, olim lapidum compage tectum

Valenz pagus ab Occidente Thermis imminens.

ctum delituisse existimamus, temporum successu attritâ saxorum mole, fauces patuisse, & speluncam fõris detectam. Descensu præterea Thermarum reperto, hominum arte, industria & casu ipso antrum omne, latum amplumque magis effectum certo liquet: quoniam perpetua saxorum, arborumque ruinâ, hyeme potissimùm Os Laci magis magisque annuatim aperiri cæpit, vt nostrâ, auorumq; memoriâ, insigniter sese dilatârit cauernam: Torrens Taminna itidem altius quondam vt præter famam, vestigia rupium & riparum indigitant, per alueum suum effluxit, ac deinceps singulis ferè seculis profundius in petram desedit, sicque sublimori fluxu impedimento fuit, quò minus maturè, calidus fons torrente inferior, aut immixtus reperiretur. Quemadmodum hodie aqua illa Thermalis, nullo vnquam anni tempore euanescens, di-

Taminnæ fluxus olim supra rupium supremitates.

cta (der Gumpen) torrenti proxima, & æſtate eidem innatans, & frigidæ permixta concurrit. Quoniam verò Taminna rapido curſu ſubiecta ſaxa identidem profundius excauat ideò & altius calidi fontes eleuabuntur. Solent quidem à Terræmotibus mutari ac ſubinde etiam omnino abſorberi aquæ: At vtrum iſthic illud acciderit, & qua de cauſa Thermarum fons ſeriùs mortalibus patuerit, nouit ille, qui omnia in tempore, pondere, numero & menſura diſponit, apud quem noſtra demonſtratio, diuinatio eſt; Aquarum aliàs

Plin:

frigidarum notæ ſunt harundo, iuncus, aut herba lilij, multumque alicui loco, pectore incubans rana; Nebuloſa autem exhalatio certior multò eſt, ante Solis ortum longius intuentibus: Quod ex edito quidam ſpeculantur, proni terram mento attingente. Fons autem Fabarienſis halitu, fumoq; maximè proditus,

ditus, & quod multarum aliarum rerum nominibus, etiam huic Fonti ac Thermis accidisse videtur. Etenim à perantiquo Monasterio, cui Fabaria nomen, ipsæ etiam eiusdem Fons & Thermæ Fabariæ seu Fauariæ primùm cognominatæ; dein' à vulgo Fabars seu Fauars; postea per prothesin Phauars & Pfeuers seu Pfefers indeque passim à Germanis **Pfefers Bad**; quã mutationem promouisse censetur trium istarum litterarum b. u. f. apud multos Germanos prope idem sonus. Proinde istius nomenclaturæ ignari nonnulli à pipere Germanicè **Pfeffer** dictas arbitrati piperinas thermas appellitarunt, quas alij denique maiore ex errore à Fabarianis seu Fabariensibus omnino diuersas esse scripserunt.

Caput II.

THERMARVM SITVS, Antrumq; describitur.

NON longè pone Monasterium Fabariēse ferè vnius horæ Helueticæ spatio, in Abbatis territorio inter Meridiem & Occidentem, in conualle & spelunca profundissima, sesqui hora à Rheno flumine, sub terribili saxo, Fabarinæ Thermę suaptè natura calidæ profluunt. Curiâ oppido ac Rhætiæ Metropoli, duobus milliaribus Germanicis disjacent. Mirabilis adeò totius speluncæ, & petræ facies est, vt qui eam nunquam viderit, animo suo effingere non possit, & qui eam, licèt crebrò viderit, memoria retinere nequeat; Multiformis quippe difformitas imaginatiuā speciem velut inobseruabilis labyrinthus turbat cōfunditque. Quâ spectat Meridiem ingre-

ingreditur antrum torrens quidam, præruptis & inacceſſibilibus ripis & rupibus coarctatus. Ab occidente & ab ortu, velut de induſtria natura rupes altiſſimas admolita eſt. Cauerna & vorago præceps, longa vetuſtate in altum cavata, medio jacet, & profundiſſimè, per quam horrendo ſtrepitu, trãſcurrit fluuialis ille Torrens Taminna dictus. Antrum oualem fere habet formam, ac nauim veluti roſtratam repræſentat. Verſus enim ſeptentrionem, latum eſt circiter paſſus ſedecim, deſinitque verſus Meridiem in acutum, totumque antrũ quadraginta circiter paſſus longum eſt. In Medio antri, vbi Thermæ & hoſpitia ſunt, plurimùm & quodammodo in rotundum excauata ſunt ſaxa, quæ deorſum paulatim ita coniunguntur, vt veluti carinam nauis repræſentent. E medio preterea ſpeluncę rurſum recuruantur ſaxa & paulatim ad ſe ita incli-

nantur, vt in cacumine montis, aliquibus in locis, Meridiem & Septentrionem verſus, hominem ab vna parte rupis, vnico ſaltu alteram pertingere poſſe diceres. Præcipitia in Occidentali & Orientali pariete occurrunt vaſtiſſima; Vt ſi aliqua oculorum intentione deſpectes, indoleſcat caput. Vndique abruptæ rupes, non vt pleræq; modicis ac mollibus cliuis in ſublime faſtigium creſcunt, ſed in fornicis lacunaris & arcus modũ erectæ ſunt, quarum media ſpacioſiora in ſe horrendùm diſcedunt, altiora in arctius coëunt, ſumma in arquatum laqueare curuantur. Affines illic nubibus rupes, & cælo proximæ.

Hic ſpelunca cubat, vaſto ſubmota receſſu,
Solis inaceſſa radiis, altiſſima viſu,
Cuius in extremo ſcopulis pendentibus antrũ
Arte laboratum nullà: ſimulauerat artem,
Ingenio natura ſuo: nam pumice viuo
Et ſaxis validis natiuum duxerat arcum.

Circa ſupraque antri Fiſſuram & ſuper-

ſuperficiẽ pini, fagi, & dumeta propendent, & ab occaſu latiſſimus imminet lucus. Cortex, vt ſic dicam & tegumentum vniuerſi Montis, è terrâ eſt: viſcera dein' è lapide, ideoque non gramine ſolùm, ſed arboribus crebris quoque veſtitur. Meridiem verſus ſcopulos vnius atque alterius lateris ſpeluncæ pene conjunctos, ſeprentrionem verſus, omnino clauſos, in medio non multum patentes videmus: Idcirco anguſtia illa atque coniunctio mõtium in cauſa eſt, quo ipſimet radij Solares ad hoſpitia, neque vix per horam integram peruenire poſſint. Id autem fit circa ipſam Meridiem. Fiſſura enim montis, linea recta reſpicit Meridiem: Quod ſi tamen poſt ortum vſque ad Meridiem, vti quoque poſt Meridiem, vſque ad occaſum Solis, lumen aliquod, à Sole in antrum ad hoſpitia vſque peruenerit, (peruenit autem quotidie, niſi aër valde fuerit turbi-

Solis aſpectus in antro breuis.

dus & nebulosus) & in schiaterico vmbram dederit semper, hoc est, tam ante, quàm post Meridiem, tibi horam circiter Meridianam indicabit vmbra; itaque siue secundum cursum Solis fuerit Septima, Octaua, Nona, aut Decima matutina, siue Secunda, tertia, quarta, quinta aut sexta pomeridiana, vmbra tamē in Horologio tuo Solari vlterius, quam à Media vndecima, vsque ad Mediam primam vix progredietur: Id autem propter reflexionem radiorum Solarium accidit: Radij enim Solares, cum ab ortu Solis vsque ad Meridiem ad superficiem, & veluti marginem antri versus Occidentem tantummodo reuerberent, reflectuntur radij in superficie montis per angustam illam rimam vsque ad fundum antri, non minus ac si Sol esset in ipso Meridie. Idem quoque accidit post Meridiem, cum Sol ad occasum vergit; Tunc enim radij Solares

lares â parte illa antri orientem versus, simili modo, ac si Sol esset in Meridie deorsum reflectuntur. Angustia porrò illa Mõtis in superficie sæpissimè impedit, quò vapores Thermarum minimè in aërem liberi exhalari queant, sed in antro ipso contineantur: Idque inprimis splendẽte Sole, aut flante superius vento, vel qualitercunque indignante cœlo. Tunc enim radij Solares, venti ac pluuiæ, Vapores Thermarum repellunt, & in antro retinent: Quemadmodum videmus fumum retineri in culina, si radij Solares Caminum è directo pertingant, aut Venti adspirent. Retentio porrò illa vaporum efficit, vt sæpissimè in ipso Meridie tanta sit obscuritas, vt Lumina accendere necesse sit. Hyemante cælo obscura Solis verius vmbra quàm lux, nocti similis Thermas premit, vix vt quæ prope sint ad aliquot passus conspicias. Aditus Antri obscuritas.

speco-

ſpecoris copioſum excipit lumen, at interiora, niſi ſereniſſimum fuerit cælum, obſcura ſunt, vt vehementiſſimum etiam fulgur nunquam prope aduertatur. Etſi autem antrum excauatum ſit & ruinoſum, & ſcopuli mirando quodam DEI artificio conſtructi propendeant, nonnunquam quoque ingentia ſaxa, annoſæ arbores & niuium labinæ ac terrea moles, ex cacumine montis deciderint, memoriâ tamen auorum, nullum vnquam hominem, ab ipſis grauiter læſum, aut obrutum fuiſſe, & Incolæ, & omnes, qui Thermas haſce frequentarunt, fidem faciunt. Ex quibus ſingularis & admirabilis Dei prouidentia conſpicitur, cuius mira potentia veluti firmo quodam ſtatumine immenſum illud pondus montium ſuſtentatum conſeruatur. Timeri tamen hic vult DEVS ne liberè & ſine metu offendatur ſceleribus, vti in alijs Thermis frequenter contingit.

tingit. Rorant petrarum immensa corpora, vt lachrimare videantur, nisi aliquádiu cælum fauentissimum fuerit, & maximè sudum. Quod autem introrsum hæc montium vastitas, illacrymetur & exsudet, caussam probè diuinauerim. Est ipsa perplurium balneantium illic misera ingratitudo qui non modo nihil gratiarum ob tam magnificum munus, Numini meminerunt, quin & sceleribus illud potenter lacessunt, vt adeo flagitiosorum vice, duræ Rupes vbertim flere, & præ diuinæ vltionis impendente vindictâ sudare cogantur. Naturalis dein' in promptu causa; etenim tum ex Thermali Scatebra calor, tum ex raptim perrumpente fluuio vapor perpetim ambo sursum commeant, & præfrigidæ Rupi adglutinati in aquas rursum stillatim eliquantur, velut in lebete feruido ad operculi faciem intrò euaporans in aquæ guttas iterato

tò destillat, aut sicuti in hyppocaustis vapor subcalidus muro adhærescens guttatim, colliquefit, vt à rudioribus sudare ipsimet lapides existimentur: ac deniq; quemadmodum in cubiculis per hyemem incolarum halitus ad fenestrarum rotulas congelascit & deinceps iterum in aquas resoluitur.

Paries petræ occidentalis balneum obtegens, circa vmbilicum rubris, subnigris, cæruleis & strijs candicantibus maculosus est, & foraminibus velut ferarum spæleis, Vulpiũ latibulis, coruorum nidis distinctus apparet. Petræ submarcidæ, putres & Scabiosæ circa Thermas sunt, propter continuos Thermarum halitus & vapores spissos, qui eas resoluunt, atterunt comminuuntque. Tempori, ingenio, labori nihil à Veteribus & modernis parsum, vt charta Geographica vel calamo exciperetur antri forma, loci omnis figu-

C 3 ra,

ra, viæ inuiæ, præcipitia prærupta, montis occursus, circuitus, secessus, torrentis ripæ, flexus, fossa speluncæ, obscuritas & nox, petrarum suspendia, recessus, fornices, latibula, hiatus altitudo, scopulorum fraus, & minæ, infiniti rupium errores, sylua lucusque imminens, angustiarum aditus, cauernæ horror, sed maximũ & potentissimũ naturæ opus omnes ingenij vires fefellit; Laboriosius enim quàm felicius speluncæ structuram argillâ, chartâ, scandalis, & huiusmodi rebus quidam in Thermis fabricatam secum abstulêre à Calcographis adumbrandam, cum nemo omnium Iudicio, qui præsentem locum contemplantur, hactenus veritatem rei assecutus fuerit, qua in re veritarem Naturæ admirari conuenit: Nonnulli malè locum initio ingressûs imaginati inferni vestibulũ, S. Patricij expiatorium ignem, defunctorum piacularem lacum, si inflamma-

flammaretur, appellitare voluerunt. Veſaniæ memet damnabit poſteritas, ſi minutiſſima quæque perſequar.

Caput III.

LONGITVDO, LATITVDO, *Altitudo, profunditas Antri.*

FABARIA altiſſimus omnium deſcenſus eſt ad Thermas; Conſtat enim vlnis, ſeu ſeptempedis quã plurimis. Septempedam, ſiue vlnam voco, menſuram tantum longitudinis continentem, quantum complectuntur duo brachia procerioris Viri vtrinque extenſa, ſeu quæ cõmenſuretur longitudini Septem pedum artificialium, germanicè (ein Klaffter) aut quæ tantæ perticæ habeat longitudinem, quam Vir procerior eleuatâ dexterâ primoribus digitis, pedi ſuo dextero inſiſtentem ſtans attingere in ſummo poſſit. Sunt

Septempeda.

vero

verò ſeptempedæ ab publica viâ, & initio deſcenſus Fabariâ vſque ad ſcamnum quietis (Rußbanck) appellatum ducentæ viginti tres; Inde vſque ad pendulam ſcalã, vbi via Vallencenſis & Fabarienſis ad Thermas coëunt nonaginta & vna; Ad Sacellum poſtea quinquaginta duæ, ad Thermarum fontem denique viginti ſex. Et ſic vniuerſim deſcenſus Fabarienſis conficit quadringentas ſeptempedas. Diſtant petræ apud fontem, quinquaginta paſſus circiter. Dominorum Thermæ (Herrn Bad) longæ ſunt Octodecim pedes, & quatuordecim latæ ſupereminent Thermis maioribus duabus Septempedis. Thermæ inferiores ſiue maiores longæ ſunt, quatuor Septempedas, & duos pedes, latæ tres vlnas & duos pedes. Vtraque natabula, ſeu lauacra capiunt trecentos ſimul. Ab Thermis inferioribus in torrentem ſunt ſeptempedæ tres & pedes

tres: Diuersoria siue hospitia distãt inter se septem Septempedas & dimidiâ. In harum domuum medio paululũ ad orientẽ interiacet Thermarum gurgustium, quod abest à superiori hospitio quatuor vlnis. Ex domo superiori, eiusq́; infima trabe in torrentem sunt quinq́ue & dimidia Septempeda. Ab inferiori domo septentrionem versus, sita, vsque in torrentem sunt quinq; vlnæ. Ex Thermis Valentziam vsq; sunt vniuersim quadringentæ, nonaginta duæ septempedæ. Ragatzio absunt Thermæ, prope sesquihora. Ab Gurgustio rotæ calcatilis, quę ligneam materiam ædificandis domibus necessariam fune in antrum deponit, sunt septempedæ octoginta: Atque à ponte summo distat torrens octoginta vlnis. Funis quo ligna è trusatili rota in pontem demittuntur, Cannabis sexcenta pondo continet, longaq́ue dicitur vltra Octoginta vlnas.

Tam

Tam Valentziâ quam Fabariâ per altiſſima montium deuexa & accliuia vſq; ad ſpeluncæ oſtium deſcendimus, vbi biutum coit, ac ſuapte naturâ, ingenio, lapideo ponte riuum, fauceſq; horrendas texit, ſtrauitque. Cæterùm eam lapidum molem ad quã vtrinque ſcalis affixis & dependẽtibus, peruenimus ex altiori loco caſus aliquando, eòdẽ detulit & pontem molita eſt. Auorum memoria tandem illic ſaxorum aream fuiſſe aiunt, vt vniuerſis lignis, quibus ad focum & fornaces vtebantur hoſpites, findendis locus ſufficeret; Lignatore autem forſan pileo thorace, ac ſecuribus ibidem relictis, & ad prandium egreſſo maximam ſaxi molem in profundiſſimum torrentem, ſua ſponte præcipitatum eſſe, ſpargunt Incolæ, indeq; extare pontem bipertitum.

Vt viarum menſuras præcellens Geometer Guarinonius deſcripſit,

etiam adscribo. Eadem non infitebor etsi in nonnullis subambigam. Fides Auctorem respicit. Nos à vulgari, & rustica regula, secundum itineris decliuitatem, omnem ferè desumpsimus commensurationem. Ille ità linea recta dimensus est.

Ab descensûs initio, inquit, via Fabario ducente vsque ad Scamnum quietis quod ampliori & plurimum procetæ arbori Fago accubat, dimensæ fuere septēpedæ 42. Ab quietis scamno per ligneos & scansilis viæ gradus ad id locorum descendendo, vbi re vndequaque accuratè peruestigata, ab condito terrarum orbe, indubiè primum Riuus Taminna defluxit, priusquam temporum successu, Vallem ipsam & petras magis & profundius ad hodiernam vsq; abyssum perforādo corrosisset, sunt ad 36. septempedæ. Illinc (quod sex septempedas scalæ pensili supereminet, quà Riuus per montes pri-

mitus cucurrit) vſque ad ſcalarum altiſſimè Fabario vehentium finem & graduum Pontis in fauces ipſas deportãtis initium, circa transuerſum latiſſimum ſaxum ſunt decem ſeptẽpedæ. A capite põtis ad Capellã vſq; ſimiles ſeptẽpedæ duodecim. Indidem à Sacello per omnes ſcalas vſq; ad inferius Nymphæũ ſex ſeptempedæ. Ab inferioris balnei profluxu in ipſam Riui alueique profunditatem propemodum quinque ſeptempedæ cum dimidia. Vniuerſim ergò deſcenſus ab ſummitate Fabario in ipſam Torrentis modernam abyſſum continet 112 ſeptempedas. At indidem vbi ſub mundi exordio fluuius per medium montium ſuperius in excelſiori valle pertranſijt continet 34 ſeptempedas. Vnamquamq; ſeptempedam pro pedibus ſeptem artificialibus computando. Pedem vero pro duabus ſpitamis. Menſura Pedis.

Ante oculos ergo tali Montis corroſione præhabita, menſurâ item

 motus

motus à Mundi cunabulis, per annos 5592 rite obseruata, Ratio monstrabit ab Orbe condito sub annũ 1656 vsque ad catachlysmum montis pauimentum inter conuallem vtramq; Riui cõtinuo attritu decem septempedas, duos pedes & septem pollices profundè exesum atque excauatum esse, nimirum à principio deorsum ad saxeam plenamque molem illam ad Pontis Thermalis caput iacẽtem, vbi viæ è Valens & Fabaria congrediuntur.

Verum ab Orbis Diluuio ad Christum vsque spatio 2306 annorum, circiter ad 13. septempedas, pedes quatuor, illorsùm scilicet infra Sacelli petram semiseptempeda ferè Rupes profundiùs exesas esse arbitrari placet. E Cælis tum proximè labenti vnigenito, quodámodo Riuus lapicidarum officium anteoccupãs, Sacrificij stationem illic præparare videbatur, quo loci sæculo-
rum

rum tandem fluxu Numen vaſtiſſima in hac ſolitudine hoſtijs coli & placari poſſet.

Modo inter Seruatoris natalem & mundi Cataclyſmum tanto annorum decurſu, videlicet bis mille trecentorum & ſex, tam vaſtam euaſiſſe montis Cauernam facile captu fuerit. Quando equidem ex præcelſis deſuper ſpecubus ſaxa, congeſta humus, ligna, niuium labinæ, etiamnum hodie perſæpe irruunt & Impetu Torrentis tempeſtuoſiori crebrò importantur, vt adeo meatus fluuij talium illapſu & iniectu rerum ad quinque aut ſex ſeptempedas in duriſſimo monte occidentem verſus alicubi tamen magis minuſque pro varianre Rupium mollitie aut duritie, excauando perforauerit. Interdum & ipſe Torrens vi quadam ſubitanea, in Rupium cauo nolens detentus impeditur, donec perrumpat. Quamobrem tam prolixo annorum

interuallo Torrens in supernis sese continuerit faucibus necessum est.

Ex istis modò propè elicias, quo Christi anno prima balnei Scatebra in Dominorum Nymphæo primitus patuerit. Cum enim à salutari Christi aduentu adusque modernum annum 1631. inde infra Sacelli Rupem in ipsum intimum Torrẽtis fundum 10. Septempedæ & sex pollices, collato temporis cursu, atque ab eodem Sacello ad primã Dominorum Scatebram quinq; septempedæ cum dimidia rursum metiendæ sint, illud omne spatum intra 917. annos, rapido Torrentis cursu vsque ad Dominorum Scatebram perrosum & discussum fuit. Et quoniam ab illa Dominorum Scatebrâ ad alteram inferiorem & vberiorem, quam & Caldarium aiunt, iusta septempeda distat & temporis fluxum 204. annorum correquirit, liquet Caldarij magnam Scatebram Anno Incarnati DEI

ti DEI 1127. ante videlicet ſui inuentionem (quæ in Annum ſalutis 1240. incidiſse creditur) annis 113. (ita tamen vt incognita foret) Dominorum porro Scatebram Annis 223. prius contigiſſe Cæterum adhuc profundior Calens Scatebra (**der Gumpen**) hodie iuxta Torrentem profluens vnà cum reliquis calentibus fonticulis ab inde rupibus altius eroſis etiamnum ſerius detecta patuit, & inſuper ducentorum lapſu annorum, Torrente tam profundius ſua vi magis ſubſidente (namq; tantum ducentis annis videlicet ſeptēpeda profundius Rupes ſuo arroſu cauabit) plures Scatebræ calentium aquarum vſui humano idoneæ fortaſſis ebullient.

Quod deinde ab remotiſſimo Mūdi exortu duriſſima iſthæc Montis machina deorſum ex ſublimi in modernam Cauitatem ingentis, rapidi & impetuoſi Torrentis tranſcurſu

sensim miraculoso stupore perforata, diffissa & excauata fuerit, vtrinq; in montium lateribus diuersimodą excauationis & perrosionis à summo in imum relicta signa contestantur, quæ passim, aquarum & impetus etiamnum manifestè repræsentant, vt neque tantum id oculis spectari, sed enim manibus contrectare liceat, quodque adeò nemo nisi sensuum impos, in dubium vocare, ne dum abnuere, perpoterit.

Inferas hinc demum non solum DEI & naturæ obstupescendū Magnale in vera & primordiali Orbis creatione ex nihilo productum intimis animi sensibus admiratione summa suspiciendum, sed & multò efficacius inde impiā & hodie, Eheu! plurimùm degrassantem Atheorum horribilem sectam confundi, confutari, euertique, qui in adiutorium voluptuariæ suæ vitę DEVM Cæli & terræ factorem perfrictissima diffitentur

Discite hic Athei esse DEVM mundi.

tentur fronte, (ò Inſpector omnium Oculé cur conniues? nec ſtatim inmittis ignes & tonitru, & fulmina, ſed vindictam ſuperſedens differs? Imperueſtigabile tuum judicium & humanis ratiocinijs inacceſſum.) & contrà, mundi æuiternitatem adfirmare nequaquam cohorreſcunt, vnâque inſaniam Orbi ſuam faciunt teſtatam: Quaſi verò æternitas non infinities aptiùs viuenti DEO, quàm emortuæ, limoſæ & quotidiè corruptum eunti terrarum moli conueniat.

Sin vbilibet præ oculis remanentes in rupibus notæ, Taminnæ impetu à Mundi partu, faſcijſque impreſſæ, abforent, affatim ſufficiat illa admiranda rotunditate & capacitate multum ſpectabilis B. M. Magdalenæ dicta & dicanda ſpelunca apud Aquæductum tranſlati Balnei viſenda, quam inferius deſcribo. Totidem attulit & intulit ille Geometer.

Id certum, temporũ perlapſu Thermarum Speluncam vi fluminis profundius quotannis excauatam.

Caput IV.

PONS THERMARVM.

FABARIA & Valentziâ ad calcem riui intrãtibus, pons ligneus ad Thermas vſque deſcendens à Meridie occurrit mirabili artificio, rupibus ex parte Orientali infixus & annexus. Anno 1543. Maij 12. tractatum primo de ligneo hoc Ponte conſtruendo, cum Fabro quodam lignario Magiſtro Valẽtino Schmidt ex Sylua Brigantina, Nobili imprimis Architecto, alijs itemque operibus Senatoria domo Curiæ, & Ilano ponte ad Velcuriam claro & famoſo. Pepigit ædificium Pontis, Reuerendiſſimus Abbas Ioãnes Iacobus Ruſſinger certis quibuſdam articulis. Videlicet Valentinus re ipſa & nomine

mine Faber, Valenziâ talem viam sterneret, quæ citra periculū & formidinem clitellatis equis tutum descensum præberet &c. Trabes Monti præaltas & validas, octo pedes prominentes & aliquot pedes intro rupibus immersas infigeret. Ex latere torrentem versus cancellatim lignis obmuniret pontem, quæ cuilibet Viatori pectore tenus pertingerent pellendæ formidinis causa, & ne quis derueret in barathrum. Rectas & transuersas arbores ex quercu præualidas ponti substerneret. Ad principium põtis ex lariceis columnis, si querceæ deforent portam firmam, ritè contectam, clausam munitamque collocaret; Prædes operis & impensarum daret. Parieti montis bina semper junctim profundiora foramina incideret, quibus vno juxtim semper vacuo relicto, postes lignei, pontisque fulcra immitterentur, alijs verò atq; alijs putre-

trefactis, temporum spatio, postes noui immotis veteribus, commodè imponi possent. Ad caput pontis, quem à Thermis primo Meridiē versus ascendendo auspicatus est; fulcra humi quindecim pedes longiora nunquam supponeret, sed deinceps montis parieti, ordine trabes immitteret. Operis verò pretium constitutum est, quingentorum nonaginta octo florenorum; Vestimenta item, videlicet caligæ, thorax, tunica; Quin si damnum ex ædificio sentiret faber, & nummaria summa impensa toleratâ minor esset, judicio Prætoris & Præfecti Sarunetensis, Abbas defectum suppleret. Cæterùm commeatum omnem & alimoniam tempore structuræ in vino, frumento, caseo, sale, butyro, carnibus alijsque vniuersis, quę Abbas dare posset, currente pretio ex Monasterio emeret, & tandem sibi de sua mercede, quantum accepisset

ſet, decederet. Mirabile Pontis opus vna æſtate fæliciter ab eximio hoc Magiſtro, effectum eſt. Occurrebant homini inuiæ cautes, præruptæque rupes inter ædificandum. Irritus labor videbatur obſtante natura. Ille vt erat animi ſemper obluctantis difficultatibus, cum & progredi arduum, & deſinere inglorium eſſet, verſabat ſe ad omnes cogitationes, aliud atque aliud (vt ſolet, vbi prima quæq; damnamus) ſubijciente animo hæſitanti, quod ratio, fortuna, conſilium ſubmiſtrabat: Incumbit ligneis iugis & trabibus vaſtiſſimis, ſuntque vniuerſim iuga ſeu fulcra & primariæ trabes vndecim, eoque plures. Innititur pons alicubi prope Thermas humo: Mox deinde parieti vnius ſolum petræ annexus hæret, pendetque, in ſublime ſub montium curuatura, ad finem vtrique monti affixis trabibus portatur. Amplitudo pontis binos vix

armatos

armatos iuxtim ambulantes capiat. Dum architectarentur eandem fabricam, ſupra montem Raggolenſem è loco Girgillus dicto, longiſſimis funibus demiſſis fabri, lapicidæ, tum tabulata ipſa quibus operæ inſiſtebant, horribile viſu, inter fabricādū dependebant. Ante cōditū hunc pontē, vti Auctor eſt poſt alios Munſterus, itineris veſtigia docent, & cōmunis fama habet, citra adminiculum longiſſimi funis, aut ſcalæ dependentis, nemo ad Thermas venire vnquam potuit, idque haud ſine periculo. Erat enim ille primus deſcenſus & ingreſſus in ſubiectum barathrum longè difficilior prope ſacram ſacelli ædiculam, ex conuexo montis iugo (**am Keußle**) admodum præruptus & formidabilis, vt quám plurimi peregrinorum, è longinquis locis lauandi ſtudio illuc peruenientes, conſpecto Thermarum aditu, vertigine & formidine correpti, protinus

tinus illoti abire mallent, quàm ita periculoſo & irremeabili deſcenſui ſe committere. Alij ſellis alligati, obvelatis oculis famulorum humeris deportabantur. Ego illic nuper ex dorſo veteris viæ, vbi riuulus corriuatur ſupernè proſpiciens, caligine, nebulis & horrore loci etiamnum turbabar. In profundiſſima voragine horribilis antri facies, velvt lacuna cinere plena, interdũ quaſi aterrino atramento ſtagnabunda è ſublimi deſpicientibus apparet. Illic (am Keuſtle) quà ſe montis iugũ paulatim ad planiora demittit, in profundum vſq; altius eſt quam longiſſima quæuis turris: Ac per eam conuexitatem defluit riuulus, pauperum potus, & coquinæ aqua neceſſaria. In veteri hac via Fabario, prope montis ſummitatem, ad radices Raggolenſis prati, ante centum annos, S. Chriſtophori ſtatua, in deſcenſu, ſub immani ſaxo ſtetit, cum

trunco, pro ſtipe & pecunijs, per itinerantes, inijciendis, viæ conſeruandæ gratia. Deſcenſus è ſummitate terræ ad ipſas Thermas, per partim pendentes & monti adplicatas, partim verò ſaxo inciſas ſcalas difficilis & inacceſſibilis fermè ac terribilis, quibuſdam etiam audacioribus horrorem incutit: Aſcenſus verò multò facilior eſt, etſi operoſior, & mille & quadringentos vulgares & communes paſſus in ſummam vſque planiciem habet. Pontis deſcenſus hodiernus, etiamſi minimè ſit iam periculoſus, tamen horribilis eſt, alpium & montium potiſſimum inſuetis, vt multi præ timore, initio deſcendere vix audeant abſque ingenti præcordiorum palpitatione & genuum tremore. Pons enim alicubi ob incedentium greſſus vacillat nonnihil, ac tremit, quamquam ingentia onera & grauiſſimas arbores & ligna supernè pro reficiendis do-

mibus demiſſa, cumulatimq́; impoſita tutò & conſtanter ferat, ac robuſtiſſimis trabibus rupi profundè infixus ſit, vt maximam hominum multitudinē ſuſtinere queat. Octoginta Septempedas, ſupra torrentem pendet: Longus verò pons eſt, vltra quinquaginta paſſus. Cæterum neque plauſtris, neque equis aut aſinis datur ad Thermas acceſſus; Quapropter omnia ſiue ad ædificanda ſiue reparanda ædificia, tum quæcunque reliqua vt humeris inferant famuli, trahant, trudant, aut funibus demittant neceſſe eſt.

Valentziâ equites ad triginta vlnas, Fabariâ, vltra centum ſeptempedas, ſupra pontem Thermarum ſiſtere cōpelluntur, nec vlterior equis aditus patet. Qui pedibus propter aduerſam valetudinem vel puſillanimitatem deſcendere nequeunt, tectis vel apertis oculis ſellâ geſtatoriâ à famulis vel ruſticis ad Thermas de-

portantur, vel etiam humeris ſubinde è ſummo monte in imum vſque antri ſcaphium & indidem rurſum in ſupremam montis planiciem bajulantur. Ante viginti ſeptem annos Maiæ Villæ Patricius, equo in Thermas vſque ad Superioris hoſpitij culinam deſcendit, rem planè auſus incredibilem & inauditam, is cum ob facti temeritatem objurgaretur ab Abbate ac de perſoluenda mulctâ verba iam volarent, præ impetratâ loquendi veniâ: En Princeps ait, cum iſthoc audere auſus fui, nōne proprio periculo, multum horroris huic loco dempſi? Quando enim loquax fama famabit, equitari per pontem poſſe, imo fuiſſe equitatum, numeroſiores vtique, quam hactenus, conuenient huc populi, abiecto acceſſus metu; Adriſit jocanti Abbas & pepercit. Idem ipſe cum ſocijs Rhætis quatuor, ludibundus quandoque Valentzia deſcendit, atque

Temerarium factum.

que alternatìm omnes à tergo ſeſe Ordine trãſiliendo ad Thermas, ſtupefactis omnibus decurrerunt. Hyeme ligneum latus & Cancellos pontis, ne glacie, niuibus, alijſuè incommodis frangantur auferre, moris abhinc fuit. At Incolæ nihilo ſeciùs interriti, totâ hyeme hebdomodatìm lauatum ingrediuntur. Ineunte Majo, pons denuò carceribus includitur: Trabes ſi quæ hyemis moleſtiâ deturbatæ vel læſæ fuerint, reſtaurãtur à Monaſterio ſat graui impẽdio & periculo. Portã põtis ſingulis noctibus Thermarũ Inſpector occludit, ne hoſpites inſoluto & inſalutato hoſpite auolent aut latrones ingrediantur. Circa pontis medium infra portam riuus quidam in monte Raggolenſi ex profundis Rupium faucibus à petræ cacumine in ſubiectum pontem & petram inferiorem perenniter depluit. Idque in eo mirabile tum hyeme, tum æſtate

aduertimus; Interdum vento ita diſſipatur, vt in ſubtiliſſimum puluerē & ſpumam euaneſcat. Quum Meridie Sol antrum illuminare conſueuit, ipſum Riuum, bina Iris porraceo, purpureo, & pumiceo curuamine pulcherrimâ ſemicirculi formâ ſemper depingit, quæque quamdiu Sol allucet nunquam euaneſcit. Eam Viator ſupernè ex ponte, & infernè ex Thermis cominus & eminus curioſis oculis cōtemplari tam diu poterit. Hyeme pluuius ille Riuulus altiſſimam & craſſiſſimam glacialem turrim, ex ripa torrentis vſque ad montis ſupercilium architectatur: Et Chriſtallina demum velut vitra cubito longiora, quum verno tempore colliqueſcit glacies, circa pontem intuentibus proponit, donec tota demum moles, horrendo impetu, in torrentem præcipitatur.

Ordinaria Iris in Fabarienſi antro.

Arcum meum ponam in nubibus. Gen. 9.

Gelauit Chryſtallus ab aqua. Eccleſ. 43.

* * *

Caput

Caput V.

TORRENS THERMA-rum.

PRofundissimā totius antri cauitatē Tamiña glacialis fluui⁹ horrēdo fragore, rapidissimo cursu permeat, vt ipsemet torrēs casum suum queri lamentarique; Echo autem sonos conduplicare videatur. Terror & rumor eius quàm longissime exaudiuntur, vt suam ipsius ibi vocem quisquam benè vix percipiat. In Thermis veluti in molēdino colloquentibus, altiori voce opus; Nec enim quassam mutuò audiunt. Fulmina, ventos, tonitrua vix vnquam illic percipimus. Amnis totus per præruptos scopulos & confragosa crebris flexibus curuatur, sæpeque impedit⁹ & reuerberatus secum ipse discordat, tanto taliq; sonantium aquarum collisione & murmure prætervoluitur, vt qui illuc valetudinem

curaturi conueniunt, ſi primo Thermarum ingreſſu certum Symphoniæ genus & Inſtrumenta Muſica ſe audire imaginentur, tum aſſiduo fragore aures illis obtundantur, vt Muſica initio, ſuauiſſima, imaginatione diuturna, in faſtidium & cruciatum abeat; ij verò qui tympanum ſibi, aut ſonorum magis Inſtrumentum, vel molendini ſtrepitum, aut Choreales pulſus imaginati ſunt, demum propè inſaniant, ob moleſtum & aſſiduè obturbantem ſtrepitum. Verum hoc rarius, idque debilioris ſolum Cerebri hominibus euenire ſolet. Porrò illud obſeruatione dignum eſt, tantum abeſſe, vt aliqui torrentis, aquæ Thermalis, aliorumq́; Riuuorum, qui ex alto, maximo cum impetu in amnem cadunt, ſtrepitu offendātur, quin potius recreentur; Occultam enim quandam Muſicam ex fluuij Suſurro capiunt; Videlicet ſi quis noctu, cum propter inſuetum ſtre-

Mirabilis Muſica.

ſtrepitum aquæ ſtatim obdormire non poteſt, aliquam cantilenam, ſeu Catholicum Pſalmum, mente vel etiam prolata ſubmiſſiori & quaſsâ voce muſſitabundus ſecum canit aut fiſtulatur, is ex ſtrepitu aquarum, velut muſicam, aut potius Harmoniam atque concentum cum cantilena illa quam mente aut voce cantillat, vndique aliqualem ſaltem voluptatem percipit minuſque ille ſtrepitus Aquę, quoad fragori adſueuerit moleſtus erit. Hæc talia D. Fabritius & in aliquibus obſeruauit, & prodiderunt pariter alij non pauci; haud tamen omnibus idem accidit.

Quiſquis me auctore, conſummato die, præ Taminnæ fremitu Riuorumq; inſolentiori queſtu forſan obdormire neſcis, coram te animum tuum ob interdiu aduerſus DEVM hominemque perperam commiſſa, rationem redditurum, ceu ad Tribunal ſtatuito, deprehenſa labe lugubrem pœnitentis Nœniam in ſilen-

tio tecum, velut columba meditare, ſicut pullus hirundinis ſic clamita; vel & amabiliſſimis oculorum riuulis, è pectorum memoria excuſſis, teipſum ſtratumque tuum prolue, ex eo quippe animi planctu, ſimulque riuorum ab alto deſilientium, concordi ſonitu miré ſuauem conficies melodiam, vnde, non modò dulciter condormiſces, verum & Cælorum Numen ad veniam & vniuerſas Angelorum Phalangas ad choreas commouebis. Hanc ego muſicam, id eſt cordis & oculorum, ſuper malefactis, gemebundum luctum, rugitum & dulciſonam quiritationem permaximi facio. Sic, ſic Pij cum noctu ſublatum è conſpectu lumen, dormituri quotidie factitant, totum ſecum diem excutiunt, dicta facta remetiuntur. Qua conſuetudine quid pulchrius? quàm tranquillus altus & liber, hanc ſui obſeruationem, ſequitur ſomnus! cum laudatus eſt

Conſcientiæ examen.

animus

animus aut correctus & ad meliora obfirmatus! sunt ij, qui in suaui cõcentu musico fuêre sonores & harmoniam in auribus diu circũferunt, ita hi secum ipsi suauissimam pacem ad somnum deferre solent. Spatium id omne altimetræ beneficio forsitan, quod à Mundi exordio ad nostrã vsque ætatem Taminna excauauit, Experientissimus Geometer Hyppolitus Guarinonius, nuper ab summo ad imum deorsum peruestigauit & dimetiens 34. iustas reperit septẽpedas exesas esse: Additque extra Thermarum Cauernam in loco spectabili & peramœno propè nouum Nymphæum vbi Taminna momento velut ex ferociente effreniq; Vro-Tauro repente in mansuetissimum euadit agnum, & quasi ex immani carcere euinculatus luctuum & querelarum obliuiscitur clarissima superesse tantæ perrosionis signa videlicet 34. septempedarum. Subijcit idem,

idem, Torrentis impetu ex rupibus quotannis ſemipollicem erodi: hominum oculos id ægrè aſſequi; ab mundi primordio vſque ad Catachlyſmum Torrentem de ſublimi diffidendo eo loci perueniſſe, vbi via è Valens & Fabario ſub pendula ſcala ad Oſtium Thermalis Barathri conueniunt: A Diluuio aliquantum diutius illic, quoad petras perrupiſſet inuitum ſubſtitiſſe: excauationem intra quadriennium luculenter notari, ſi hyeme cum Torrens æquabiliter effluit, rupibus quædam ſigna adprimantur. Anguſtioribus alicubi ripis velut ciſta, cohibitus Torrens ſubit, & viſui aliquamdiu ſubtractus, inde rurſum alibi improuiſus exiſtit: Tandem infra Ragazium, Rhenum petit, à quo poſtremo ebibitur. Verno vel etiam æſtiuo tempore ac hyeme, interdum niuium labinis, terrarū adlapſu, aut lignorum mole impeditur aliquot horis, magno

gno tractu, aquis caput ſuum repe-
tentibus. Retro fluxiſſe commemi-
ni, nec quicquam aquarum Ragaziũ
aliquandiu deportaſſe: Idcirco iu-
re cautum fuit, nè Ruſtici ſex pedum
longiora ligna Ragazium deferenda
ex ſyluis in amnem deturbarent.
Turbidus hic amnis Meridiem ver-
ſus quinq; horis à Thermarum An-
tro, in ipſis niuoſarum alpium iugis,
Calueiſen appellatis, oritur vbi gla-
ciales montes, perpetua glacie, Gleſ-
ſum, vulgo **Gletſcher** vocant, conſtri-
cti & inſtar cryſtalli candicantes,
prope Monaſterij paſcua viſuntur.
Verum ea montium glacies, nec mi-
nera nec vera glacies creditur, ſed à
duobus tribuſúe annorum millibus
in lapidem quodammodo degene-
rauit: Indurati illi montes nullo ſo-
lis æſtu vnquam colliquefiunt: ex-
coquunt autem ſe ipſos nec arenæ
lapidum, aliarumúe rerum mixtu-
ram compatiuntur, horrendumque
æſtate

æstate quandoq; dehiscunt, ac fossas trecentarū aut quadringentarum vlnarū terribili sonitu, velut fractus illabasceret orbis, rumpunt. Videntur sane impēdentia tum saxa cōuelli, rapidoque tonare fragore ruinas. Perfluit Pagum Vattis, ac inde maximo strepitu, per aspera ac terribilia loca erumpit decurrit & profundissimas videlicet etiam sub ipsis, Thermis positas angustias, in quas Thermæ ipsæ ad pedem & radices ferè montis, qui lunari iugo, quà septentrionis axem spectat, contiguus est, Scaturientes sese exonerāt. Tanto impetu interdum deuoluitur, vt lacteæ spumæ similitudinem alicubi exhibeat, præsertim sicubi frequenti circuitu angustiorem & profundiorem conficit alucum.

Vehit aquas plurimum turbidas grisei coloris, quasi cineribus mixtas quoue maior veris, æstatisq; feruor, eò turbidior gelidiorque effluit.

Verum

Verum etsi ita turbulentus sit Taminna & glacialis ad ęgritudines tamen accomodatas vomit aquas, oppidò salubres & gratas. Ragazij & in Vättis nullo alio fonte aut vtuntur, aut vti vnquam voluerunt: Illam aquam ad potandum laudatissimam censent Medici, quæ clara pellucida, tenuis, pura frustillorum & saporum omnium expers, leuisque reperitur nec non quæ igni admotâ, cito calefit, remota verò citissimè frigescit, gustu iucundo, quæ deniq; celeriter præcordia pertransit & sine vllo ventriculi molestia labitur & secedit. Talis, autem esse solet, cuius fons ad orientem Solem erumpit, curritque super lapides aut arenam, aut purissimam terram, quæq; æstate frigida, hyeme autem calida manat. At ea æstimandæ aquæ omnium certissima ratio est: Incolarum scilicet Regionis illius longæua salubritas; Si enim sani Incolæ degant

gant faucibus bibentiũ liberis, capite, pulmonibus, ac thorace insontib⁹ si Venter indolens, nulla aut rara in præcordijs, Renibus, Vesica, torsio, signum certum de salubritate aquarum habetur; Quæ omnia, quamuis aqua crebrius impura fluat, in Vättensibus & Ragusianis Incolis, hunc torrentem perpetuò bibentibus aduertere hactenus licuit. Robusti siquidem longæui & Incolumes diu supersunt florido & vegeto corpore. Thermis verò præcipuè commodus est & salubris, cum plurimum verberatu correptum aërem, & auram frigidiorem in antrum deferat, pestilitatem languentium Vaporum auferat, fætorem dissipet, sordes ac fęces propellat, saluberrimè aëra inclusum, iactatu suo crebriori euentilet. Et nisi afflueret intolerandus illic semper horror resideret; Sanè sub annos Christi 1611. & 1629. grauissima mortalitate vicinos pagos, &

Taminnæ Vtilitas.

Mo-

Monaſterium exhauriente, in Thermis, quamquam more ſolito Heluetij, Rhæti, alijq́ue populi adfluerent, nemo peſte moriebatur, quin inibi ſat numeroſi homines in multam vſque hyemem commorati, à lue nunquam fuerunt infecti; Tanta illic aëris acrimonia perſpirat; Piſcoſus deniq; & ſalubrium piſcium feraciſſimus eſt Taminna, trutarum videlicet, quæ certis aluei vorticibus frequentes ſtare cernuntur; Non vlla prorſus alia natatilia tulit aut alit vnquam teſtibus Incolis.

Caput VI.

FONS THERMARVM.

POSTQVAM Seruator in Iordane lauit, vim Medicam & innocuam diuinitùs aquis impreſſam, experientia ipſa & Viri graues docuerunt; Tanta enim ſalubrium aquarum copia & maximè inter Chri- Thomas Borius de ſignis Eccl. l. 1. c. 6. Tom. 5.

ſtianos abundat, aduerſus omnem morbi vim, vt ferè nullæ Orbis Vrbes, quæ non habeant aliquem Medicum fontem aut riuum: In multis regionibus etiam flumina ampliſſima. Medici fontes in Germania antiquitùs penè nulli ſciebātur, hodie vt ex Munſteri, Mercatoris, Stumpfij, aliorumq; Geo-Topographijs, & Medicorum lucubrationibus liquet, omnis generis abundat, longè melioribus & ſalubrioribus, quam vllæ Nationes. Fons Fabarienſis ſaluberrimorū fontium gloria, vel aduenis teſtibus, calidis aquis vniuerſis cenſetur præferendus, ſuperant illius prodigia omnem calamum omnemque linguam. Ab Torrentis Taminnæ dextera orientem verſus, per fiſſuras petrarum, in loco præcipuè, qui Caldarium (der Keſſel) à fovea in ſpeciem aheni efformata dicitur, ſub obſcuro & cōcauo lapide, adeo copioſè is euomit, vt

vt molæ frumentariæ si afforet, atq; eodem tempore bis millibus hominum ex eo haurientum sufficere existimetur: Tanta est aquarum copia, abundantia, vbertas, & semiduplo pluribus satis essent, si calidi fontes vniuersi coalescerent, qui in toto antro ebulliunt. Fouea siue Caldarium; altitudine sua quemlibet Virum exæquat. Hinc cratem ligneam, ne quis illic suffocetur, eidem imponunt, cui insidentes pedibus innitantur: Erumpit aqua natura calida, pellucida, humano gustui maximè commendabilis, ex subterraneis ruplum cuniculis, & labro siue natabulo excipitur in quadrum circumducto vt nescias illámne peripheriam natura dederit, an ars exquisitum istud excauari saxi spatium elaborauerit? Balneæ per omne labrum fere vndiq; saxeum, & in quadri speciem petræ incisum, diffunduntur, tria natatoriæ latera mero Lauacrum maius.

ſaxo, vltima pars torrenti imminens ac vicina tabulis ſtrata eſt, & aquam lauantibus neceſſariam, ne effluat, ex Caldario & Scaturigine diffuſam cohibet. Illic quandoque pro commoditate & neceſſitate ſubducto ligneo & pertuſo Vaſe, quod continuo ſupereffluentem aquam lambit, emitti conſueuit. Hoc lauacrum centum hominum, imo plurium capax eſt. Scaturit præterea ſuperius, in altiori petræ receſſu, alius aquæ calentis fons, dictus dominorum balneum (das Herrn Bädtlin) partim ex longiori montis fiſſura, partim ex ſpecu proſilit, & inferioris balnei modo omne natabulum ſaxo ſternitur; ac ſimili ligneo trunco circa effluxum coercetur & colligitur. In his verò duobus fontibus ſolis lauantur hoſpites. Alibi deinde in eodem Orientali ſaxo, circa torrentis alueum, in laqueato petræ ſpecu, ex profundo perenniter calida profluit, ap-

Balneolum Dominorum.

pella-

pellaturque Gurges, (der Gumpen) anfractus petræ qui gurgitis fontem euomit virum ſolidæ ſtaturæ in oſtio ſuo capit. Hoc in gurgite aliquando, Anno videlicet 1596. Superiori balneo, maiori, & Dominorum vſq; ad D. Ioannis Baptiſtæ Natalem emanente, quinquaginta circiter hoſpites aſſeribus aptè concluſi lotionem abſoluerunt. Tandem Vltimi illic lauantes, vix impetum improuiſò exundantis Taminnæ fluuij, nocte quadam per ſcalam aſcendētes euaſerunt, quo etiam momento Thermæ inopinato in aſcendentium capita, tam diu exoptatæ, & expectatæ, proruperunt. Ab occidente vltra torrentem itidem ex petra propè alueum continuo fluit aqua calida, quæ copiâ ſua communem tubum impleat. Nec non indidem alibi ex eodem Occidentis monte, hyeme ipſa calentes aquæ rorant. Orientem verſus ſupra tectum Balneorum Gurges calidæ.

tepidæ aquæ, quibusdam tantum annis effunduntur. Tandem in hospitio Superiori circa alteram contignationem dom⁹ Orientalis mons maximum fontem interceptis annis calidum effundit, sufficientem balneo plurimorum hominum, si excauatâ rupe à lacunâ exciperetur; Crystallo clarior est, aqua hæc lympidissima & perspicax adeo, vt vel obolum in fundo nisi cauernæ obscuritas impediret, cerneres.

Claritas nostri fontis.

Purior argento per saxa arentia bullit,
In liquidis translucet aquis, vt eburnea si quis
Signa tegat, claro vel candida lilia Vitro.

Sapor aut odor nullus aquæ, neq; etiam in fine potus intelligitur. Nec præter modum calida est, sed tanta temperie constat, vt Pueri quamuis delicatuli adhuc, ipsius tamen calorem vel circa scaturigines facilè sufferre possint; Et contra Rustici, & qui cutem ac carnes durissimas habent, non nimis frigidam, sed quàm tem-

temperatiſſimam ipſam quoque reperiant. Hinc fit, vt intemperiem calidam ſicut reliquę Thermæ viſceribus non imprimant; Immo quod obſeruatione dignum, ſi quis ſiticuloſus eiſdem aliquantum inſederit, extinguitur atque depellitur ſitis. Sunt itaq; adeo temperatæ Thermæ iſtæ, vt omnes cuiuſcunque ætatis, aut conſtitutionis fuerint, homines earum calorem etiam in ipſa ſcaturigine, facilè tolerent; Inde & illud ſuccedit vt earum vires facultateſq; integrę ad omnes ægros perueniant, continuo ſemper nouo aſſiliente affluxu. Secus in alijs Thermis euenit, quarum inſignem maximumque calorem, aut frigidâ frangimus, aut in Vaſis ac labris per ſe refrigeſcere ſinimus: Interim earum Vis ac facultas euaneſcit, diſſipanturque ſpiritus, qui ſunt animi Thermarum; Et ita quidem vt nihil ferè præterquam excellens ille calor in eis re-

Iudicia reſtaurandarum Thermarum.

maneat. In alijs Thermis ſordes ægrorum in labris & Natabulis remanent; At hic continuo per affluxionem nouæ aquæ abluuntur, defluuntque. Nihilominus inſuper ferè quotidie & ſæpius, vti quoque in alijs Thermis fit, per quám diligenter eluuntur, & per imbrices in ſubterfluentem Taminnam exonerantur, ſcopis vtraque natatoria verruntur, moxque iterum breuiſſimo ſpatio in vſum lauantium repleri ſolent. Vere nouo, aut hyeme quando gurgitem maiorum balnearum, plurimis bullis ſtellantē conſpiciūt, jamiam redeuntis aquæ Indicium eſſe autumant, ſi fortè ex Caldario aduſta fagorum folia, glandium fagearum folliculos, poma ſylueſtria, Ranunculos ſpumamq; gracilem protrudi viderint, fontem continuo affore pronunciant. Copioſo impetu & interdum magno ſtrepitu fons reuertitur, ſi Incolis credamus.

Indicia redeuntium Thermarum.

Aiunt

Aiunt alij longinque Thermas adfluere, & in ſummis Alpibus enaſci, ac tandem per innumerabiles montium anfractus in præcipiti hac ſpecu ſcaturire, longioris affluxus ſuſpicionem prębet temperatus calor, ac Thermarum tepela, tum profluentia fagorum folia & folliculi, qui vicino in monte incidere non poſſe existimantur. Fontem Thermarum in Alpibus remotis ortum habere magis credunt quam ſciunt Incolæ, aiuntque anates quondam binas cum aqua calida prorupiſſe, eaſque extra Thermas repente expiraſſe. Poſſet nonnemo veluti in lacu & ſtagno vicino quodam ſeu propinquo ſeu longinquo profundiore & ſubterraneo hanc aquam percoqui, augeri, tandemque ebullire & varios montis meatus percolatam effluere ſubarbitrari. Etſi alius aliter malit, nimirum longiſſimo tractu admeare, & in ipſo itinere linctu at-

tactuque cuiuſdam materiæ & calorem & reliquas ſibi proprias virtutes, attrahere. Scribunt Leonardus Fuchſius, Martinus Rulandus & alij Medicorum, hanc aquam è ſulphure, nitro, ære, auro ac ferro ſcatere: Tuniſer verò ex Magnete, auro, ære, ſulphure, & aqua communi. Bruſchius ex auri & cupri venis defluere animaduerſum dicit. Horum verò nullum neque ſapore neq; odore percipitur, nec excrementum vllum in illa reperitur, minimeq; ſpiſſa, Cryſtallo pellucidior eſt aqua. Wilhelmus Fabritius Hildanus Reipublicæ Bernenſis Medico-Chyrurgus Anno 1610. cùm Sereniſſimo Principi Raziuilio in graui morbo operam ſuam nauaret, & aliquot ſeptimanis cũ ſua Serenitate in Thermis Fabariæ moram traheret, atq; ad libras Viginti circiter quatuor huius aquæ euaporare, ſineret, vix Semidrachmam ſedimẽti in fundo alem-

Mineræ Thermarum.

bici

bici remansisse tradit. Heluetiæ Annales aurum in rupibus ex quibus hæc aqua profluit inueniri volunt; Quod ipsum verum esse, idem Fabritius affirmat. In superiori enim Balneo Dominorum fissuram inter rupes detexit, ex qua limum pinguem, rubrum & ponderosum extraxit, qui ablutus & ab arena expurgatus, Terræsigillatæ non multum absimilis fuerat, quo in externis affectibus, cum successu vsus fuit, estque valde exsiccans: verùm in internis morbis periculum facere, nũquam ausus erat: arenam deinde quę in lotione luti remansit cum Ensisheimij in Alsatia probandam dedisset, aurum in ipsa, sed pauxillum repererunt: Propter grauitatem enim suam aurum per fissuram semper deorsum tendit. Existimat tamen idem Fabritius, si quis hyeme cum Thermæ exarescunt, fissuram illam ad ipsius fundum vsque detegeret, atq;
aperi-

aperiret, illum laboris ſui fructum minimè perditurum. Cum itaque Thermæ neque Saporem, neq; odorem ferrugineum, nitroſum, ſulphureum, æreum ſeu alium vllum contineant, aut quidquam excrementorum eijciant, viſum fuit Paracelſo, Thermas Fabarienſes ipſas per ſe eſſe puras, adeoque elementum ſimplex, neque Sulphur aut quidquam aliud ex Mineralibus in ſe cōplecti. Hæc ita ſeſe habere, non tantum inde apparet, quod ipſa aqua cum per euaporationem examinaretur, nihil in fundo alembici remanſerit: Verum etiam adeo ſpirituoſam eſſe cōſtat, vt ſi quis ouum aut lapillum ei imponat, nō rectâ protinus ſed ſenſim & obliquè immergatur, fundum petat, demumq; ſubſideat, qua propter corpora in his Thermis ita ſubleuantur, & tam leuia fiunt, vt ægri puluinaribus opus non habeant etſi aſpero ſaxo diu noctuque inſideant.

Quam-

Quamquam aquæ Thermales nullũ vnquam odorem per se referant, Caldarij tamen reliquiæ, jamiam redeunte calido fonte transitâ hyeme Accolarum Testimonio, sulphur referunt. Vestimenta insuper & homines qui aliquot hebdomadibus Thermarum antro nunquam exierunt, incognitum quendam spirant redolentque odorem. Quoniam Sulphur bitumem aliaque subterraneorum ignium pabula Fabariensibus Thermis deesse complures scribunt Medici; difficulter causam caloris illarum inuestigant. Patitur quidem Fons Fabarij omnium Iudicio, neque enim aqua suaptẽ natura calefit, interna quædam incendia; sed quo alente pabulo subterraneus calor nutriatur? magis quidam diuinant, quàm assequantur. Alij quàm plures præsentem quæstiunculam subterfugerunt, cum nec ex aquarum sedimento, nec odore, vel

sapo-

sapore similes materias feruoris liquidè deprehenderent. Quippe tales sunt aquæ qualis terra ac Mineralia per quæ fluunt, qualesque petrarum, quas lauant succi. Paulus Wichard Medicus Tugij in ea versatur opinione, Thermas Fabarienses: Non omnino esse absque Sulphure, quod terræ illæ, quæ huiusmodi ignes subterraneos (à quibus videlicet calorem suum & à terra qualitates mutuantur aquæ illæ) vix vnquam existant absque sulphure, sicuti fermè omnes Thermæ, quæ per se calent, sulphuris quid in se continent: Quod etiam ex aquarum Fabariensium operatione videtur detegi, licet odore & sapore nullum sulphur ob eius paucitatem prodant. Philosophorum schola intra terræ Viscera occultos ignes ali docet, tum ex ignivomis montium iugis, tum ex calore Thermalium aquarum, quæ pluribus locis feruentes & quasi bullientes

Elogio de fonte Pipe-rino.

lientes

lientes erumpunt. Cum autem de illorum nutrimento agitur in bitumen & ſulphur pleriq; conſentiunt. Vtrumq; enim horum & cito ignem concipit, & tenacius retinet & facilius generatur, vt tam diuturnis ignibus, vix vſquam poſſit pabulum deeſſe. Etiamſi in agro Mutinenſi (Valopio teſte) ait P. Laurentius Forer perpetuo colligatur bitumen, nunquam tamen aliquid deeſt, tantundem enim ferè ſuccreſcit, quantum indè abſumitur. Fortaſſis aquarum Fabarienſium venæ lapidũ ac Mineralium ardentium linctu cõtinuò calefiunt, tepidæque promanant. Quod autem ex inde nullus ſeu ſapor ſeu odor percipiatur, guſtu vel olfactu, neq; feces & excrementa Mineralium appareant, æſtimare poſſumus tantumdem ſubterraneorum meatuum tranſitu attrituque ipſo percolari, curſu & percuſſu extenuari ac perfici; quo nihil abſolutius

P. Laurentius Forer Soc. Iesv disput. de igne. Thes. 24. quem, olim Dilingæ Præceptorem ſuum modernus Fabarienſis Abbas, vt diſcipulus gratus conſtanti adhuc amore colit.

tius puriuſque cernatur. Ita enim & Marinæ aquæ in ſummos montes per totum Orbem terreſtrem oculto naturali ſuctu dulceſcunt, & à ſalſedine liberantur. Videmus poſtea ſæpè aquam alijs locis turbidam apparere, breui autem terræ interuallo abſorptam rurſus puram, & pellucidam exiſtere. Ego nouorum Academicorum more hic deſino in Epochin, ſuſpendamq; ſententiam; vt canant Cygni, ſicut eſt in prouerbio, tacentibus Graculis: excitabuntur ſeriò docta ingenia ad ſcrutanda ſummi rerum Opificis, naturæque Miracula, & ad eruendas eorum cauſas ex Philoſophorum Theſauris.

Caput VII.

HOSPITIA THERMARUM.

HOSPITIA Fabarij in Thermis habentur duo, neque enim loci

loci commoditas plura patitur, quã-
quam olim tria ibidem extitisse me-
minerimus. Distant hæc duo do-
micilia inter se septem & dimidia
Septempeda haud multò supra ra-
pidum Torrentem, trabibus lariceis,
fulcrisq; rupibus ex vna alteraque
parte impositis sustentata sunt, ta-
men pro loci situ admodum com-
moda & ampla. Inferior & minor
domus Septempedis quatuor & di-
midiâ supra torrentem eminet, alta
quatuor contignationes, hypocau-
sta quinque, cubicula vndecim, ma-
cellum vnum, pœnu vnum, culinam
vnam continet. Superior verò &
maior domus, â torrente edita est
quinq; Septempedis & dimidia: Ab
anteriori parte in tres, à posteriori in
quinq; contignationes exsurgit, cu-
bicula habet vndecim, hypocausta
Septem, culinam vnam, cum pœnu
& macello.

Ædificia Thermarum ante sexta-

ginta annos, cauerna in ſummo; arctiori exiſtente ſingulis fere duodecim annis, ex fundamentis reparanda fuêre; Hodie duplo diutius conſeruantur, quot annis tamen plurima in ipſis reparantur. Cæterum ex mero ligno ædificia conſtructa ſunt tumultuariâ operâ, reſpuente naturâ loci alterius Materiæ ædes. Qui domos tegunt, funibus ſeſe plerunque alligant, ne miſerabili caſu ex prærupto delapſi, ab prçter fluente amne hauriantur. Feneſtris hodie quàm plurimis, idq́; rotularibus vitris illuſtrantur, cum olim anguſtiſſimis aperturis ligneis & Vitreis craſſioribus quadratis inſtruerētur quæ vix obſcuriorē qualē qualē antri lucem admiſere; Hodie ſiquidem in ijſdem Cubiculis & hypocauſtis horarias preces legere & epiſtolas exarare poſſis. Diuerſoria hæc lignea, tametſi extra Thermas longiſſimam ferrent ætatem, ac plu-

rium

rium seculorum senectam; illic tamen propter Thermarum Vapores (qui plerunque tam spissi sunt, mutante præsertim cælo, vt in ipso etiã Meridie, propè candelâ opus sit) in antro retentos præhumida sudant, ac intra Viginti annos propemodum putrefacta absumuntur. Quot annis graui sanè impendio reparantur; Vix enim tantam hyemis vnquam persentimus clemẽtiam, quæ omnino illæsa ædificia siuerit. Cum enim niue paululum discussã aperiri humus cæperit, grandæuæ arbores, saxa, & terræ moles, niuiumque volumina in ipsa ædificia præcipitantur. Sæpe vna annosa fagus, aut pinus; domum integram strauit. Ante sexennium crudelior bruma superius hospitium omne, vno impetu in torrentem, ne vestigio quidem relicto disjecit. Superior domus potissimum, quando calidus fons in ipsa ebullit, vberrimo sudo-

re madeſit, fumatque. Nunquam pænè ambo hoſpitia exſiccantur niſi cælum longiſſimo tempore fauerit. Quia magno periculo ædificiorum materia in Thermas deponitur, de maiori diſcrimine domus eriguntur, magno conſtant ſumptu vniuerſa ædificia. Ante centum annos domus vna conſtitit, tantummodo centum florenis, ante quinquaginta verò Octingentis, ante ſexennium ſuperior domus vnica & ex fundamentis educta, vltra mille & ſexcentos florenos ſtetit. Precium ſeu merces ædificantium in Thermis ex periculo æſtimatur, & altero tanto major eſt quam foris Thermas. Tecta ipſa non ſolum ſcandalis ligneis, aliarum domuum more, ſed & arboribus ſolidis per medium diffiſſis, iiſq; robuſtis & validis intra tegulas, ne minus grauium lapidum ruina conquaſſentur, vndique obteguntur. Parietes quoque & commiſſuræ aſ-

ſerum

ſerum virente Muſco, cum ſiccior tempeſtas incidit, claudere moris eſt. Ex ſingulis contubernijs cubiculis ſeu hypocauſtis, hoſpes Thermarum certum pretium Abbati Fabarienſii perſoluit, & ab peregrinis balneo vtentibus in fine lotionis & abitus certam pecuniæ portionem exigere conſueuit. Calendis Maij ſingulis annis hoſpitia Thermarum primum denuo habitantur à Cauponibus, S. Michaelis Archangeli autē feſto rurſum Thermarū domibus, cum Vniuerſa ſuppellectili excedunt: Sin autem pauculi quidam ex conſenſu Abbatis maturius vel ſerius eo tempore lauēt in Thermis, ab extero hoſpite Valenzenſi, hactenus refici cōſueuerunt. Hyberno autem tempore à nemine vnquam hactenus incoluntur. Euenit porrò vt Anno Chriſti 1629. cum è peſtilitatis metu, nonnulli homines, illic habitarent, tribus præſertim puellis negli-

gentius focum curantibus nocte in tempestâ, in ædibus inferioribus, horribile incendium erumperet, dictasque ædes omnino consumeret: Incidit inflammatio in diem 4. Decembris. Vanè discurrunt plerique balneantium, naturæ locorum ignari, dum Reuerēdissimum Dominum Abbatem de angustijs & vilitate Domiciliorum traducunt: Antri quippe ingenium, splendorem, magnificentiam & amplitudinem ædificiorum omninò auersatur, vnoq; hyemis momento, subuertit, quod multis æstatibus ædificamus. Ædes ipsæ, nunquam casus sui, hyeme presertim sunt securæ.

Caput VIII.

SACELLVM THERMARUM.

AD pontis lignei calcem, paulò supra hospitum diuersoria prope-

peque fonticulum in similitudinem Sacelli cuiusdam, saxum excauatum, duodecim forte hominum capax, quamquam deforis magna satis frequentia assistere possit, Orientem versus cernitur. Rupi illi in ædiculæ modum conformatę lignei postes annexi æream campanulam sustinent, quam Thermarum Inspector, mane, vesperi & Meridie pro Angelicæ salutationis memoria sonare consueuit: Ad quem pulsum tum Catholici, tum Heterodoxi honoris ergò caput aperire, Christum Deiparamq; salutare, sub mulctâ compelluntur. Initiatâ ad rem diuinam illic visitur, Viatoria Arula, supra qua frequenter cum festis, tum profestis diebus aduenæ Sacerdotes Thermarum Præsidi & Auctori DEO sacrificium faciunt. Quoties autem homines Religiosiores Catholici prætereunt nudato capite, & modicè flexis genibus sal-

tem breui precatiuncula Chriſtum appellant. Nonnulli ſtatas ibidem horas pie legendo vel orando agunt. Erat ea ſpecus aliquando eſculentorum penu, & Vinaria cella, hodie non niſi ſacris myſterijs ac deprecationi dicata eſt. Quotquot autem hinc è Thermis abeunt campanulam illam in ædicula ſuſpenſam, velut lætitiæ & grati erga Deum animi ſignum fune concutiunt, hoſpitesque vnâ saluêre & valere jubent. Hanc omnem antri Thermarũ rationem, miranda fontis opera, loci habitum, ægrorum mores, Heroo pede Carolus Paſchalius Chriſtianiſſimi Galliarum Regis Orator nuper deſcripſit, cui9 illuſtre Carmen libet ſubijcere, quod ea quæ longiori calamo attigi, ille ſummatim roridâ Vena exequatur, Poëſin, ſi faſtidiat Lector, tranſuolitare per me conceſſum.

Carolus Paschalius.

EST locus in Rhætis vasto mirabilis antro.
Antrum muscosis introrsum rupibus horret:
Vmbrarũ & noctis facies hic plurima sese
Densat, & in tenebris volitant errantia spectra.
Mugitu horifico properat, similisq; frementi
Præcipitat flauas altis è montibus vndas
Præcelsæ rupis corrodens infima torrens,
Perrumpitq; specum, simul & prorumpit ab ipso:
Nullos hic Panas, Faunos, Satyrosue salaces
Lasciuire iuuat. Quin quisq; oblitus amorum,
Nugarum oblitus, simul atq; è limine diras
Aspexit formas, quibus hoc circumdatur antrũ.
Contremit, inq; pedes dat se velocior Euro.
Scilicet hic sedes immania Numina ditis
Elegisse suas terrorq; horrorq; videntur.
Antrum consurgens prætexit saxea moles,
Cuius vtrumq; iugum concurrens flectitur in se
Vergens, at nusquam coiens. Nam celsa dehiscens
In summo cautes diffinditur ordine longo,
Admittens Solem, medio quum constitit axe.

Hàc datur ex antro cœli conuexa tueri.
Enatæ quercus in margine rupis vtraq;
Illic exceptos quadam dulcedine mulcent
Spectantes viridem nitida cum luce colorem;
Et sperare iubent suppressaq; gaudia tentant.
Æthereis Vapor hinc surgens vanescit in auris
Index humentis, naturalisq; teporis,
Atq; facultatis, quam concipit vnda per errans
Viscera terrarum, cæcos ditesq; meatus.

Nempe metalliferis regionibus optima limans
Labitur: hic illic occultos colligit ignes,
Colligit occultas per ſaxa latentia Vires.
Deniq; per ternos erumpit plurima fontes.
Editior binis locus eſt. Hi quatuor haud plus
Inter ſe diſtant vlnas. Vicinia puros
Et vitreos miſcet latices in gurgite magno.
Continuus labris diſtinguitur ille ſalubris
Gurges, in hunc ægri languentia corpora mergũt
Noctes atq; dies. Vincit conſtantia morbos.
Hæc domus, hæc menſa eſt, hoc gratũ cuiq; cubile.
Illic expletis non multis hercle diebus,
Ægris ſumma cutis prius alba nitensq; ruborem
Induit, ac maculis ſenſim conſpergitur, vt ſi
Rubricâ totum pingas variesq; tapetem.
Paulo poſt etiam laniatur, ſcabraq; turget.
Eiecti humeris multa putredine fœta,
Nonnullosq; facit lenesq; breuesq; dolores:
Poſt quos ſcabritie poſita, ſcabieq; perempta,
Priſtinus ille nitor corpus conueſtit & omni
Confectâ macie, vigor in præcordia rurſus
Commeat, ac reduces vires vegetatq; fouetq;.
Cui torpent artus, quibus inſtat ſæua podagra,
Cuiq; rigent nerui, cui rubra vetusq; cicatrix
Æſtuat vt vulnus tabo ſanieq; tumeſcens,
Cui caput aut Renes morbo tentantur acuto,
Si reminiſcendi cœpit labare facultas,
Siue retundi acies oculo, ſi lippit hebetq;.
Si quoq; Veſicæ lapideſcens humor adhæret,

Vlcera

Vlcera si quis habet, si quod contractius vlli
Forsitan est membrum, quod suetos impedit vsus,
E cerebro stillat subiectos si quid in artus,
Indita si marcens stomachus fastidit & odit:
Huc eat, hac sese medicata merset in vnda.
Hic etiam Nymphis vberrima pocula libet,
Najadas inuitet potuq; haustuq; frequente:
Sentiet ecquid opis sit in ista deniq; lympha,
Quamlibet abstrusa densis imisq; tenebris:
Cui non contulerim Bajas, nec amaniu ipsis
Baîs terrarum si quid memoratur in orbe.

Tantum ibi fundit opum rerum natura creatrix:
Sed quas ingeminant venerabilis hospita tecta
Præsulis. Huius enim sunt in ditione manuq;
Istæ per celebres & fausto nomine Thermæ,
Sic quasi fautrices dictæ; quibus addere pagum
Fas est, qui sese Lymphas adeuntibus offert
Vltimus, estq; VALENT haud nomine & omine vano;
Quòd vix vllus in hac mersatur inaniter vnda,
Quæ potis est vires sæui expugnare doloris,
Et surrepentes membris dispellere morbos:
Deniq; non paucos atro prope funere mersos
Ereptos Erebo jucundæ reddere vitæ.

At D. Colonelli Ioan: Guleri, egregium Poëma sic habet.

FAbrinis auium nidos dū faucibus auceps
Rimatur, calidas fortè videbat aquas:

Quas hominũ nulli per ſecla priora notatas,
Primus Vicinis detegit ille ſuis:
Quorum pars vſu paulatim comperit, illas
Mortales varijs poſſe leuare malis. (tus,
Vnde cateruatim morbus quibus occupat ar-
Et notat informi pallida membra color,
Per rigidas timidè cautas, ponteſq; tremẽdos,
Inuenti latices dona benigna petunt,
Et quamuis ſubeat vitæ diſcrimen in altum,
Seſe demittens pallida turba locum:
Non tamen abſiſtit: tanti facit illa ſalubre
Corpus, & infeſto poſſe carere malo.
Ergo quæ valido lædunt in corpore vires,
Hæc mala ne ſubeas, ſunt fugienda tibi.
Eſt liquor hic Phœbi vaſto demerſus hyatu
Noueris vt quanti ſit facienda ſalus.

Gaſpar Bruſchius verò hoc ſequens Ænigma poſuit.

DIc quib. in terris, & ſacra ornabere lauro,
Octipedem Phœbo, cancrum repetente Co-
Efficiant calidas accenſis ignibus ædes. (loni
Sole alibi populis nigrum inducente colorem,
Aut vbi candelæ ad lucentis lampada cernant?
Rurſus ab Hyberno ſub frigore nullius ignis
Planè vtantur ope, perq; vnam ſplendeat horam
Sol vbi vix, licet ipſe dies longiſſimus extet:
Hanc terram ſi dixeris aut monſtraueris ipſius
Tu mihi Phœbus eris, tu Phyllita ſolus habeto.

Solu-

Solutio.

FAbarianarum domus hac est infima nempe
Thermarum in Rhætis, veteris super ardua Maiæ
Mœnia non procul à Germani flumine Rheni
Lunæ inter sublime iugum, niuibusq́; Galandam
Perpetuis tectam, peregrina vbi turba lauare
Se solet aduersus scabiem morbosq́; futuros,
Æstiuo sub sole, locis sub Tartara penè
Detrusis Acherontia, sole carentibus omni;
Hyberno redeunte gelu, discedit & Vnda,
Disceditq́; suam quisq; aduena rursus ad Vrbem.

Magnis his Vatibus non inferiorem,
Religiosum etiam Poëtam associare lubet,

F. Bonauenturam Honegger Murensem Cœnobitam.

QVidquid habes vel habere cupis, Fabarina ministrat,
Vnda; Sitis? nouit pellere Vena sitim.
Æger es? insano cruciaris amore? fatigat.
Siue Podagra pedes, siue Chiragra manus.
I celer, & corpus Fabarinâ prolue Lymphâ,
Prolue, pestiferam diluit vnda luem.
Mirum! iam veteres seruent sibi flumina lymphas,
Et latices serua Fons Tyberine tuos.

Cedite;

Cedite; nobilior fluit hoc, fluit vnda per Antrum;
Cedite; nam donis nobilitata fluit.
Non alias Natura magis dotauerat vndas;
Nempe tot inter aquas, ſanior vna fuit.

VIn autem ſcire, humaniſſimè Lector, quid Poëta medicus de noſtro Fonte ſentiat, amabo te, de optimo liquore; quem in huiuſce capitis finem, ſciens volens reſeruaui, nullo modo detrectes bibere. Nectar hoc eſt.

INter aues Phœnix, gemmas carbunculus inter
Pulchra metalla aurũ, quadrupedeſq; Leo;
Noctiuago ſtellas inter ceu Luna minores
Incedens curru, lumine plena ſuo
Sic calidos inter latices queis arte fugantur
Morbi, Fabarij gloria prima loci.
Ennumerem vires? Numera mihi ſydera cæli.
Conſilio Medici his vtere; certus eris.

De ſalutari & hactenus nunquam ſatis laudata Fabarienſi Scatebra, cui in hoc genere aquarum mineralium medi-

medicatarum, nihil par, nihil secundum, ex tempore cecinit Sebastianus Scobinger Sangallēsis Art. Med. Doctor. Et sub hisce formalibus verbis, Epistolam ad Dominum Abbatem finijt. die 26. Martij, Anno 1631.

Caput IX.

VIS MEDICA THERMARUM.

PERSÆPE mecū existimo, quod quidquid vspiam, Medicarum virium sparsum est, ad hæc Balnea turmatim commigrasse. Tam varia, multiplex & admirabilis aquarum virtus, vt pene diuina. Negant Vllas esse in orbe terrarum balneas ad sanitatem magis accommodatas. Virtutem verò istam altissimis montium & Vallium Claustris, vt timeretur & amaretur, de industria DEVS, circumseptam abdidit. Cæterum ne

ex

ex domeſtica voluntate os abundare videatur; Medicos aliosque viros graues & experientiam ipſam hîc loqui faciam.

Felix Malleolus.

Chorum ducet ob Antiquitatis memoriam Felix Malleolus Solodorenſis, Præpoſitus & Cantor olim Turicenſis, Decretorum Doctor, vir temporis ſui venerandus, qui floruit Anno gratiæ 1424. is Fontis noſtri ita commeminit.

Sunt in Diœceſi Curienſi per vnam dietam ab ortu fluminis famoſiſſimi Rheni apud Monaſterium Fabarienſe Ord. S. Bened. Nobiliſſimæ Thermæ; in acceſſu tamen rigidiſſimæ: quarum ſitus & diſpoſitio tam mirabilis quod vix eſt deſcribenda. Quæ quidem aqua calida Quondã Secundum Chronicas Scaturizabat in Sinu Montis excelſiſſimi & per Annos ducentos nunquam comparuerat: & demum caſua-

ſualiter reperta fuit prope ibidem in profundiſſimâ valle & cum Torrente : vbi circa ſolſtitium æſtiuale ſol vix videtur, in meridie; per maiorem Anni ergo partem Aquæ deficiunt & æſtiuali tempore per duos vel tres menſes comparent. Et tunc Aqua copioſiſſimam nimis per cauernas terræ diffunditur & monſtruoſe humanis vſibus applicatur.

Hæc præ cæteris Thermis Mundi, auro, indicatur approbata, cum ſit aqua puriſſima & validiſſima, ſiue frigida ſiue calida ſit, humano guſtui delectabilis & aptiſſima & ad quamlibet ſuperuenientis & balneantis complexionem compaſſibilis & omni ætati poſt pueritiam, quam anno decimo vel quaſi ponimus terminatam, compaſſibilis ac delectabilis. Et licet de auri minera potiſſimum ipſam nobilitatam dixerimus, oportet tamen vt habeat de igne perpetuo ardente ſuſtenta-

tationem, quam de aluminis & Nitri inferioribus tertæ putamus percadentem.

Nihilominus tamen auri venas tangat prout multa ſunt flumina. Et videtur in Rheni littoribus qui etiam ibidem eſt contiguus: vbi per Artifices arena certis colligitur temporibus, & de aqua ſubtili modificatione Aurum finaliter purum conficitur. Et licet hæc Thermarum Aqua ſit in horrido loco profundiſſimæ ſolitudinis, ac ſi eſſet Acharon, vel ſtygia palus, & nõ omnibus, præſertim vertiginem patientibus ſit acceſſibilis, eſt tamẽ propter aquarum calidarum ſuperabundantiam delectabilis & moram facientibus in ea non inducit torporem laſſitudinis. Conuenit autem ibidẽ moranti continuo per ſex vel ſeptem dierum reuolutiones balneari. Et in hoc medio per vnam noctem ab extra ſolet fieri plena quies. Solent etiam, ſi placeat,

placeat, contra naturam aliorum balneorũ; & in hac aqua fieri omnes refectiones. Et talis mansio fit ibidem præsertim propter ascensus in altum, & descensus discrimina, & viæ pericula propter scalarum impendentiũ machinamenta. Etsi talis fons Thermarum in terra plana manaret; duobus hominum millibus simul balneantibus, abundantiam aquæ donaret: & virtutem Thermarum totius Germaniæ superaret.

Nunc autem de eius profectu dicemus. Nam Podagram, chiragram & omnem Arteticam passionem, saltem calidam, repellit. Capitis neruos obstrictos resoluit. Visum mirabiliter reficit. Et in multis hominibus, præsertim frigidis, stimulos carnis restringit. Et licet ibidem sit vinum sapore fortissimum, nisi homo nimium bibendo propter malam stomachi complexionem violenter excedat, securus est, quod immodera-

tam ſitim non incurrit, & quod faſtidium comedendi penitus euadit. Item ſcabiem & omnem carnis pruritum cutisq; radicitus repellit. Item cicatrices vulnerum tollit. Et è vulneribus contractas rugas, & membrorum curuaturas, & læſas iuncturas reficit.

Membra laſſata, laboribuſq; cõquaſſata, confracta, ſeu fatigata reſtaurare conſueuit. Et ſummariè cunctos in ſe ſperantes fortaſſis propter fidem populi: qualeſcunq; corporum angores patientes, ſine refocillationis conſolatione non relinquit. Hæc ille.

Vltimam verò periodum cum ſalis grano capi, cupimus, ſapit enim me Iudice, ſuperſtitionem, cuius hic auctor ab alijs alibi inſimulatur. Cætera, quia antiqua, ſolida, peculiaria & iucunda, ſingulari amore & reuerentia amplectimur dilectæ poſteritati noſtræ eadem tranſmittentes.

Mar-

Martinus Rulandus Hydriatice sua hæc de Fabariensibus Thermis attulit: Non longè, inquit, à **Pfefers** Monasterio Ord. S. Bened. in agro Curiensi calidæ scaturiũt Aquæ. E sulphure, nitro, ære auro ac ferro; valent potæ, & in balneo ad Capitis dolorem, memoriam perditam, visum obtusum, auditus grauitatem; articulorum resolutionem, tremorem artuum, lassitudinem membrorum, Phtysin, febres inueteratas, paralysin, spasmum, podagram, chiragram, artuum dolores, membra fracta, luxata, contracta, conuulsa ac sugillata, vlcera maligna & malè curata, calculos renum & vesicæ, vteri affectus varios & inueteratos, renum vitia diuturna, vesicæ mala vetera, cancrum, fistulam, mammillarum vlcera, sanguinem congelatum, perfrigerata membra, obstructionem, cerebri & neruorum, Epilepsiam, cholicam, mensium intemperiem, Rulandus.

 hos

hos enim sistit, prouocat & temperat, consumptos à morbo, obstructiones Iecoris & lienis, regiũ morbum, quartanam febrem, hydropen, affectus præterea tam calidos quàm frigidos. Asserunt scriptores fide digni, inquit Baccius, vix quemquã Fabariâ absque sperato successu discessisse. Obstructiones omnes inflationes etiam hydropicis extenuant. Neruis, juncturis, & capiti præcipuè medentur, oculis sunt admodum vtiles, itemque cæteris sensorijs, quæ corroborant, auditum reuocant, memoriam firmant, animalium functionum torporem remouent, Vulneribus medentur, & antiquis Vlceribus, subter cutem omnia vitia sanant, fracturas ossium instaurant, neruorum contractiones reducunt & callos exterunt: Vtiles sunt tota æstate; Paracelsus Fabariensium balnearum virtute emẽdari scribit, contracturam quamuis, debi-

Baccius.

Paracelsus.

debilitudinem membrorum ex ira, vino, vel Colica paſſione ortam, tremorem manuum pedumúe ex Medullarum defectu, ira, neruorum frigore, aut inordinatione. Quamlibet podagram, & Artethicam, dorſi dolores & coxendicum, laſſitudinem membrorum ſeu natura ſeu labore natam, membrorum tabem, ex congelatione, vbicumque tandem corpori inexiſtit. Febres quartanas, præſertim quæ annum edurarunt, Pharmaca reſpuerunt, & contumaces factæ ſunt. Morbos omnes ad morbum regium declinantes aut ex bile genitos, paralyſin & Diabæticam, ſi Thermæ tertio frequententur. Maniam capitis, omnes Mulierum affectus, calculos, renum, & Veſicæ dolores, omnes morborum affectus inter cutem & carnem, vel palam apparentes. Maciem, puſtulas, ſcabies, impetiginem, furfures, herpetes, omnia Vlcera infra genua,

ſanie & ſanguine purulẽta, fiſtulam, cancrum, pectoris Vlcera, exſiccata corporis foramina, & tumeſcentia, vulnera immaturè obducta, malè curata, oſſifragia perperam curata vel coniuncta, luxata, rupta, dimota & frigefacta membra, vel à curatis Vulneribus tabeſcentia. Præterea idem Paracelſus tradidit, pũcturas & ictus ſagittis & glandibus factos, Fabarienſi fonte curari, glandes & ſagittarũ fruſtilla extrahi, aut ad extractionem pręparari ex omnibus membris frigus educi, natiuum calorem reuocari, deſperatos morbos & febres diſcuti, arcano & incomprehenſibili modo humorem foras pelli. Parili prope deſcriptione vim huius aquæ Medicam prodit Gulerus. Vapore ipſo quoque proſunt Fabarienſes Thermæ, inquit Fabritius Hildanus Medico-Chirurgus. Etſi enim aër ſpiſſus & humidus ſit, eſt tamen ſaluberrimus. Vapor enim iſte

lib. 6. Rætiæ.

Fabritius Hildanus.

Ther-

Thermarum, ſimul Viſcera tam interna, quam externa humectat, & quæ in ipſis ſunt obſtructiones & oppillationes aperit, materiamque eis infartam mollit, aluum ducit, & ne in duritiem quis incidat, occurrit. Bonitas quin etiam aëris Thermarum quorundam iudicio, & ſi alij aliter malint inde cognoſcitur, quod Muſcas perpaucas, ſerpentes vero, araneas, mures, cimices, ſcaraboeos nullos, ranas autem nonniſi ex mõte rariſſimè delapſas ſuſtineat; Aues illic nullæ præterquam par Moticillarum quot annis illic viſitur. Veſpertiliones petrarum cauernas ſolummodo remotiores nidulantur. Jn Maio, Iunio, Iulio, Auguſto, & Septembri potiſſimum ſalubres cenſentur, quamquam etiam alio tempore, earum Vires vix aliquid remittant, quamdiu profluunt, præcipuè ſi æſtas, Autumnus & Ver ſicca fuerint. Humida enim tempeſtate, a-

qua illa pluuiosa, quæ ex rupibus affluit, calorem ac facultatem Thermarum non nihil infringit. Faciunt quoque Thermarum Tepelæ, vt interiora Viscera ab eis non alterentur aut incalescant; Hinc fit, vt in obstructionibus hepatis lienis & Venarum Meseraicarum, nec non in morbis inde prouenientibus præstantissimas esse aquas in multis obseruarint Medici, & præcipuè in Serenissimo Principe Ianutio Raziuilio: Deinde quoque in Nobili Viro Domino Iacobo Wallier, cuius Historia dudum in lucem abijt. Sanctè autem affirmat Fabritius eidem Nobili Wallier, in diuturno suo morbo, atque decubitu lienem ita indurasse, vt instar lapidis alicuius in ipso abdomine persentiretur; Indeque varia Symplomata, veluti famem insatiabilem, Icteritiam nigrā, febres contumacissimas & similia prouenisse: In Thermis verò Fabari-

bariensibus, intemperiem illam, obstructiones & scirrohositates lienis ablatas fuisse penitus. De his Nobilis iste æger testis est, etiamnum Friburgi Heluetiorum incolumis & in Matrimonio feliciter superstes. Mirum præterea in modum affectibus neruorum, neruosarumq; partium conuenire idem Fabritius tum in Serenissimo Principe Raziuilio, Domino Walliero, tum etiam in quibusdam Podagricis, Nobilibus alijsque Ciuibus obseruauit. Solodurensis quidam Aurifaber M. Ioseph cum doloribus Articulorum aliquoties correptus fuisset, & consilium ab Fabritio expetijsset, Medicus ipsum per interualla, extracto suo Phlegmagogo purgauit, Venam incidit, Vino generoso interdixit, tandemque ad Thermas Fabarienses misit, in quibus ita reualuit, vt in hunc vsq; diem à doloribus istis deinceps non fuerit vexatus. Est itaq; sum-

ſummum remedium in Arthritide, quemadmodum aſſerunt, quotquot ipſis fuerunt vſi. Inter quos Ioannes à Dieſsbach Nobilis Eques de Berna, qui eaſdem ter non ſine magno fructu inuiſit, vti & Antonius Vezerinus de Norimbergâ qui nouies illas frequentauit. Hic enim etſi à multis annis Arthritidi fuerit obnoxius & nunc ætatis ſuæ ſeptuageſimum exceſſerit, nondum tamen facta eſt nodoſa, ita vt etiamnum in hac decrepita ætâte, ſine magno incommodo pedes per Vrbem ambulare poſſit. Bibitur quoque non inutiliter ad purganda corpora, bilemque atram, aut ſanguinem concretum alterutra parte reddendum. Non quidem pro potu communi, quamquã guſtui gratiſſima ſit aqua, ſed Medicinali. Quidam jeiuno Ventriculo, magnos hauſtus abſque vlla ſtomachi iniuria quotidiè faciunt, aquâ deinde copioſiore de pedibus fuſâ.

Vtiliter bibitur hæc aqua.

fusâ. Arbitratur Fabritius Thermalem aquam solummodo eis Ventriculum in primis subuertere, qui prauis humoribus scatent, & ante ingressum ad Thermas corpora secundum humoris peccantis naturam non expurgarunt. Maximo cum successu his Thermis vsi sciuntur, qui potu vel etiã balneo huius Aquæ stomachum bis terue exonerauerũt. Quid de Piperianis in Heluetia Thermis proferã, inquit, Fridericus Fornerus Episcopus Hebronensis, & Bambergẽsis Antistitis Suffraganeus SS. Theologię Doctor, vir de quo dubites, meliorne sit an verò doctior ac prudentior, concione 39. in Psalmũ quinquagesimum Dauidicum, latent eæ in formidolosa spelunca, inferno potius quàm terrestri hominum habitationi simili, in qua Sol radijs suis non plus quam quarta horæ parte, idq; in meridie penetret, & ità temperato sunt calore, vt infantulus etiã debi-

Fridericus Fornerus.

debilissimus quisque; aut quouis morbo affectus, valetudinarius ferrè eas possit; & insuper adeò salubres; vt dempta lepra (si iam inualuit) & lue Venereâ alijs omnibus morbis; quibus natura nec dum succubuit medeantur.

Et infra. Thermæ Piperinæ tot naturæ prodigijs inclarescunt; vt captum cuiuscunque Philosophi etiam acutissimi superent, tot insuper morbis medentur, vt vbi Medica manus deficit, inde Thermarum illarum virtus exoriatur. Generatim autem Neruis prosunt; pedibus luxatis fractisue membris, sanant vlcera; inaniunt corpus, priuatim capiti & auribus medentur, quin & bibentium subtiliores sensus reddunt, si per gutturnium Caluariæ guttatim instillentur; Cerebri obstructiones aperiunt; lendes quoque & tetra capitis corporisque animalcula hac aquâ curantur. Ferruminant Ther-

mæ

mæ fracturas vniuersas oſſaque contuſa, ad ictus præterea venenales, ſalutares; luxata hominum corpora facilè in artus reducunt; viros fœcundos faciunt.

Iſtis ſubiungemus etiam Elogium Pauli Wickard Patricij Tugienſis Helueti Medicinæ Doctoris quod ita habet. Paulus VVickard.

Inter celebriores Germaniæ Thermas haud dubie locum habet Fons Fabarienſis, qui ob eximias ſuas vires non Incolis ſolum, verum etiam remotioribus populis in vſu frequēti eſt. Continet in ſe Aurum, ferrum, æs, nitri & ſulphuris exiguum; vnde potenter incidit, penetrat, aperit, emollit, reſoluit, abſtergit, conſolidat, aſtringit, ſiccat & moderatè calefacit. Mineralium autem magna videtur in mixtione eſſe proportio & ſymetria, ſiquidem huius balnei vſum & actionem vtpote temperatiſſimam facile ferunt, etiam qui na-

tura

tura aut ætate ſunt debiliores & qui aliarum Thermarum vſum & operationem nõ ſuſtinent. Verum temperamentis frigidioribus, & ætate decrepitis minus competit; viris quoque quàm mulieribus vtilius.

Præter eas quas habet cùm alijs Thermis communes dotes, ſingulariter medetur, vulneribus malè curatis, membris luxatis, fractis, contuſis, aut non aptè repoſitis, vlcera profũnda, ſinuoſa, olida, cand: quæ Chirurgi operam illudunt ad ſanitatem perducit. Heterogenea, vt lapides, oſſicula, globos plumbeos, ſpicula ex alto elicit & vellit, quod hactenus multorum experientiâ innotuit. Contra cutis aſperitates puſtulas ſanioſas, ſcabiem ſiccam & pſoricam. Cum Hepate calidiore, noſtris tutius & ſalubrius eò quã alijs Thermis vtuntur. Ægritudines vteri & veſicæ varias & inueterata renum vitia emendat. Roborat

rat partes genitales, viros languidos & imbelles iuuat, Satyricos frænat; neruorum capitis & articulorum doloribus, chiragræ, Podagræ, Gonagræ specialiter succurrit.

Porro Aquæ Fabariensis mirabilis est puritas, nitor, perluciditasque.

Fons erat illimis nitidis argenteus vndis. Ouid.

Proinde eius potus non tam salubris quam gratus ad multa corporis mala medicabilis existit. Hepatis, Mæsarei & lienis oppilationes (modo corpus decenter sit præparatum) insigniter reserat. Renes & vterum penetrat, aperit, mundat; vnde Ictericis, spleniticis, hydropicis, calculosis, hystericis salubriter bibitur, nec non ijs, quos febris aliqua periodica obstinatius detinet. Nocent verò Thermæ Piperinæ frigidioribus cerebri morbis, anhelosis, pulmonibus vlcere tabe aut alio quouis latenti vitio detentis, quouis modo adhibitæ.

Hoc breuiter & grauiter de huius excellentis Balnei natura & effectu, quæ maiori ex parte certâ didicit praxi ad me summatim docto & sublimi calamo, omissis, quæ apud alios passim. 5. Ianuarij Anno 1631. ad verbum scripsit Elogium.

Plurimorum oculis præcipuè vapor Thermarum, dum eis insidetur, pernicialis esse putabatur. ; Nam à fluxu copiosiori maximoperè infestati, & tantum non extincti fuêre oculi, sed egressis Fabario exploratum est cerebro & visui plurimum contulisse, cuius vt & plurimorum affectuum aliorũ probè curatorum innumera exempla suppetunt. Illic, Fabarij lippis visus reddit⁹, claudis incessus, surdis auditus, pestilentia depulsa, capitis dolores sedati, semi mortui à limine mortis reuocati, & plura alia penè supra naturæ vires gesta, quæ insignes hasce aquas, præcipuè ostendunt miraculorum magnitu-

gnitudine inclytas, vnde quidam cecinit de Fabario.

Publica morborum requies, commune medentũ
Auxilium, præsens Numen, inempta salus.

Vir octogenarius è Valens Ioannes Nigg, fide dignus Thermarum per viginti annos Inspector, coram plurimis referre solet, potissimum illud omnium sua memoria accidisse, nempè hominem Augustanum opificio cultrificem oculorũ vsu captũ, Thermarũ beneficio oculorũq; lotione visum suũ recepisse: alios deinde non paucos, tormentarijs sclopis petitos & glandibus plumbeis etiamnum in corpore infixis ac hærentibus liberatos memorat. Abbas Fabarij senior miraculi gratiâ duos sclopetarios globulos ex ægri cuiusdam militis corpore, Thermarum opellâ eductos asseruauit, tertium Curiensi Pontifici Ioanni tradidit. Quamplurimi pedibus capti, lecticâ, equis, & grallis nixi, Thermas accesserunt, qui intra paucos

Visus oculorum redditus.

Eiecti è corporibus bombardarum globi etc.

dies pedum vſu recepto quaſuis ſcalas, abſque baculorum ope aſcenderunt. Fidem faciunt baculi & grallę in pyræ ſeu rogi ſpeciem quōdam in Thermis compoſiti, & memoriæ ergò aſſeruati. Anno Christi 1613. Maio exeunte; Ioannes Scher, ciuis Schopfenſis cum quatuordecim ſeptimanis apicem ac fragmentum ſpondyli fuſorij in brachio immani cruciatu ſuſtinuiſſet, nec perſanari eo vſq; poſſet, Thermis Fabarię vſus eſt, atq; intra ſex dies lignum ex brachio, cum ingenti gratulatione palam eduxit. Teſtatur hoc litteris ſuis ſigillatis in Monaſterio relictis.

Clerico Conſtantienſi, noſtra ætate Thermæ foramen quoddam circa præcordiorum ſcrobem, vt aiunt, eroſerunt, vnde plurimum Gilbi, ſubuiridis ac peſtiferi humoris, magno eius commodo eduxêre, ac vlcus iteratò perſanarunt.

Hor-

Horribile pectoris Apoſtema Reuerendiſſimi Domini Murenſis Abbatis à cubiculo Ioanni Conrado Glathar omnium cum ſtupore reſoluerunt, Teſte meipſo.

Ciui Marchdorfenſi Chriſtophoro Möſch gladio & ſclopeto in capite læſo, ex calua Thermæ Fabarienſes quatuordecim oſſicula eiecerunt. Puero Geneuenſi ex genu itidem oſſis fragmen alio ſuccreſcente oſſiculo exemerũt. Magiſtro Iacobo Benedicto Nobili Chirurgo Burchdoffenſi Heluetio è Bernatum ditione, tres globos, quib⁹ dudum apud Vngaros ante triennium, petitus eſt, triduò Balnearum inſeſſione, aquæ Thermales eiecerunt, vt teſtatur noſter Secretarius Ioannes Bayer alijq́; plurimi.

Matthæo Kayſer Nobili Dubiano ex Inſubria ante 26. annos plumbeum globulũ ex femore intra duodecim dies Thermæ expulerunt;

Abiens vulnere nondum omnino coalescente Thermalem Aquam in lagenis abduxit, qua quotidie calefacta vulnus abluens persanatus est. Testatur ipsius Nobilis, tum hodie Rhenouiæ Abbatis famulus. Zacharias Belli à Bellfort, Fabariæ & Curiæ ordinatus Medicus, datâ fide retulit, se quondam à potione Medicâ Basileæ sumptâ ita miserabiliter ferè Biennio ægrotasse, vt quoties Rosarum odorem persentisceret aut iusculum calidum gustaret, continuò animi deliquium pateretur. Prima autem lotione Thermarum, nonnihil remisisse morbũ, sed adeo gilbis in facie maculis conspersum, vt seipsum in speculo horreret atque ignoraret, alterâ deinde alterius anni balneatione integrè à nauseâ syncope consueta & omni maligno affectu liberatum. Thermarum Fabariensium vim, vel inprimis maximè idem callet Medicus & commẽdat

dat longa videlicet, plusquam viginti annorum experientia doct⁹; Nam quotannis non rarò ad ægros Fabarij lauantes accersitur & frequenter ipsemet contra podagræ dolores, eisdem Thermis lauat, quas & vtilissimas & saluberrimas esse bibendo affirmat, easque liberaliter ieiunus bibit, magno emolumento valetudinis.

Petrus Künig Calcographus, & negotiator Monacensis, Hebdomada Rogationum Anno Christi 1629. seriò & fideliter retulit, sibi Saliburgo redeunti ante quindecim annos, nescio quo casu, humero sinistro onustũ currum incubuisse & duas rotas supergressas, inde brachiũ adeò læsum ossaque comminuta, vt ad genua vsq; dependeret immobile, non sine maximo cruciatu: Medicos autem excellentiores, Monacensem, Norinbergensem, & Augustanum vnanimiter carnes scindi & ossa eximi

iuſſiſſe. Quem inſignem ille futurum dolorem grauiſſimè veritus, ad Deiparæ Virginis Mariæ opem implorandam, conuertitur, oratq; intimo ſenſu medium, modum & remedium, aliud facilius recuperandæ ſanitatis, inſinuet. Adfuit miſericordiarum Mater. Quis enim inuocauit eam, & deſpexit illum? tribus namque continuis noctibus, ſecundum quietē per ſomnium monetur omiſsâ humeri ſecturâ ad Thermas Fabarienſes concedat. Vxor quoq; Petri hydrope omnino ægrotans eodem ire ſomnio commonefit tribus itidem noctibus; Maritus remedium in ſomno occurriſſe vxori detegit, tacito loco: & modo illa viro pariter ſuum ſomnium, locum, medium modumque aperit, quare Ambo, conſimili & prorſus eadem nocturnâ viſione læti Fabariam, primo Maij Anno 1614. deueniunt, lauant, & vtrique intra quatuordecim

Teſtimoniū Cel[...]te.

Sanctiſſima Deipara Virgo pro ſanitate acquirenda ad Fabarienſes Thermas mittit.

dies

dies cum grandi ſtupore curantur. Petrus poſt aliquot dies, brachium paulatim leuabat, donec demum ſupra caput, more alterius brachij ſanum & integrum extolleret. Suſpenderunt poſteà B. Virg. in Bauaria Oettingæ tabellam grati animi ſignum, viſionis & ſomni exemplum continentem. Plura id genus prætermitto. Et hæc ad memoriam quorundam renouandam in præſens ſatis, vt ægri medicinam, ad quam recurrant, non ignorent. Sed infinita & maiora cõtigiſſe inaudio, quæ hominum inertia & ingrata mortalium progenies obliterauit. Planè Thermas Fabarij hoſpitatrices, auxiliatrices, & conſeruatrices ſanitatum eſſe, qui viuunt boni ſenes, aut nuper vixerunt, ex fide teſtati ſunt, & liquet communi orbis terrarum ſuffragio & experimento.

* * *

Caput X.

MIRABILIA THERmarum.

NEc aquarum natura à miraculis ceſſat, id quod per orbem varijs in locis palàm eſt per fontes diuerſos; Fabarienſis tamen tam ſtupenda atque admirabilis tepela ſentitur, vt omni ſub ſole homini aptus, acceptus & gratus nullique aduerſus ſit. Id ſingulare quoque habent Fabarienſes Thermæ, teſte Fabritio Hildano, vt quamprimum aliquis eis inſederit libidinem ac ſtimulum Venereum ipſi auferant. Felix Malleolus Canon: Turicenſis, Paulus Wickardt Tugij Medicus adſtipulantur. Ego autem ex eo fonte potantes, multò efficacius amorem ponere crediderim homines. Abſolutâ vero balneatione mox in priſtinum ſtatum redit natura cum fænore.

Thermæ Fabar: carnis ſtimulum reprimunt.

Neque

Neque id absque singulari DEI fit prouidentia. Sæpissimè enim homines in alijs Thermis propter earum calorem ad libidinem vehementius pruriunt, vnde operationes Thermarum magnopere salacitate impediuntur. Sitim insuper vt experimento didicimus, solâ insessione sui, etiam vehementissimam, continuò sedant aquæ Fabarienses: Quo fit vt Fabarij in Thermis præter statas epulationum horas, nulli Balneatores, vel commessentur, vel potitent, nisi qui fortè intemperantiæ habitum illaudabiliter acquisierunt ante, vel ob debilitudinem id facere coguntur, quemadmodum in alijs vsuuenit Thermis. Patauinorum aquis calidis herbas virentes & Pisanorum ranas innasci Plinius tradidit. E Fabariensi Fonte calido & viuos quondam anates extitisse vulgus existimat. Et ranas prodire quanquam rarissimè ex ipsa origine & Fon-

Sitim sedant.

Plinius.

& Fontis cauerna hiſce oculis vidimus. Matronæ cuidam Tigurinæ ante triennium defunctæ viuus anas ad pedes aſſilijt, in Fontis origine balneanti, vt grauiſſimi viri retulerunt extra iocum.

Quos lymphatos agit fons Fabarij, aut verius præterlapſus Torrens, ij Muſicam Melodiam, fidium, fiſtularum, chelyum, lyrarum vel tibiarum & vtrium ſimphoniam, alij rarius Tubarum, tympanorum, campanarum, molendinorum ſtrepitus ſe exaudire arbitrantur: Magno aurium dulcore priores afficiuntur. Hi memorabili cruciatu inſuper in Torrentem ſe præcipitandos, gladio animaduertēdos, aut in vincula conijciendos vigilantes ſomniant. Verum vtrique pauxillum de cauerna Thermarum égreſſi, abſque vlla valetudinis iacturâ reſipiſcūnt, nec ſine ſucceſſu balneas deinde vſurpant & recipiunt. Deſilierunt noſtrâ memo-

memoriâ duo inter soporē, in ipsum præterfluentem Taminnam. Alter ex Thermis Vir, alter ætate puer ex rupe cui infima scala incumbit, idq; admodum altè, sed enim neuter DEI prouidentiâ vel vnico capillo læsus: Ambo namque ex aqua incolumes per Thermarum famulos funibus attracti fuerunt. Maximum illud naturæ opificis portentum, quod fons Fabarij hyeme velut interquiescens propemodum in totum, exarescat, vixq; ratio hactenus haberi vlla potest, quo tempore accedat vel recedat; Tam sibi dissimilis nostro æuo abitus & reditus est. Maiores nostri in autumno Mense Octobri hanc aquam exiccari Mense Maio iterum copiosè erumpere scripserunt. Id tamen cum discrimine intelligendum aiunt Accolæ & Incolæ. Hyems enim si asperrima & siccissima tunc omnino se se subducere, neque ante medium, finemúe Mensis Maij redi-

re,

re, hyems verò si pluuiosa fuerit, aquam quidem profluere, sed minori copiâ & subtepidam esse affirmant. Sæpe numero obseruatum quo serius abijsset, hoc tardius itidem refluxisse. Seniorum memoriâ bis abfuere Thermæ vsq; ad solstitiũ æstiuale & quidẽ Anno redempti Orbis 1596. vt Pater Ioachim Malegg Artiũ ac Philosophiæ Magister, & Fabariensiũ Subprior assignauit, mense Aprili etiamnum calidæ & integræ subito euanuere, Mensis postea Iulij initio primum cum summa omnium aggratulatione pridem & procul expectatæ ac optatæ reuerterunt. Anno 1628. penitus nunquam Fons exaruit, Anno 1629. solummodo per octiduum ab Dominica die quam Ecclesia Lætare appellitat, vsque ad Dominicam Passionis dictam, manare desierat. Hoc anno 1631. cũ fons trimestri fere spatio abfuisset, & Rerucrendissimus Abbas Iodocus,

docus,

docus, ad noui Nymphæi ædificium visendum 14. die Aprilis per Antrum descēderet, fortuitò intromissâ manu in caldarium sensit frigidam inibi congregari. Et ecce! in reditu à nouo balneo cum denuò accederet, vidit calidam refluere cum amabili murmure, iucundaque subsultatione super effluere, & subtiles sursum vapores eijcere. Dextram igitur denuo intromisit, ac reducem Nympham lætus adeo felici omine salutauit, moxque DEO ac Deiparæ breuiculam gratiarum actionem adnumerauit. Gurges autem calidus Torrenti vicinus veterum iuuenumque æuo semper perennis solemnisque fluxit. Dominorum Thermæ hoc septennio semel æstate aliquo nunquam fluxerunt etsi perpetuo tardius quàm inferiores Thermæ nobis annuatim restituantur. Supra balneorum tectum & in domo superiori paucioribus annis calidi

Fontes

Fontes profluunt adulta ferè iam æſtate, annonæ caritatem meo iudicio, portendentes. Sicut alibi in Germania Fons (dictus **Hungerbrun**) reperitur, qui quando decreſcit grauem annonam, quādo excreſcit diuram famen protendit, quod aſſerit Delrio. Ad Martinalia vel tempore quo aduenientis Chriſti celebritas colitur, nonnihil calor & copia Thermarum quotannis minuit.

Diſquiſit. Mag. lib. 4. cap. 2. q. 7. S. 2.

Paracelſus ab Hohenheim exiſtimauit aquam hanc in autumno, cùm herbæ flacceſcunt pariter euaneſcere, ac denuò vernante Cælo, cum ijſdem prorumpere; Quod præcipuè de facultatibus aquæ nuper Fabritius Hildanus interpretatur. Etiamſi in hyemali tempore, inquit iſte, aqua hæc profluat, nullius tamen ferè valoris eſſe teſtantur Incolæ. Non minus quam herbæ æſtiuales, quæ hyeme in ſyluis reperiuntur. Itaque quemadmodum, brumali

mali tempore radices herbarum vi caloris terræ, in ipſius viſceribus propter aëris ambientis Frigidatē incluſi atq; retenti, nouum Robur acquirere videmus, ita etiam ſeminaria harum Thermarū tempore hyberno in ipſis terræ viſceribus retinentur, nouaſq; reparant vires, at experientia contrarium edocet; cum & hyeme ipſa ſaluberrimas & efficaces omnino eſſe ſciamus, & interdum biennio integro ſine intercapedine & vlla virium ſuarum interpolata reſtauratione profluxiſſe viderimus. Sed cur Thermæ Fabarienſes vt plurimùm quot annis per hyemem ſiſtuntur & areſcunt? Vere autem vel æſtate primum denùo promanant? An quia hyeme meatus & anfractus, intra rupium lacunas, alicubi gelu glacieq; obſtipati calentium aquarum iter fluxumúe prohibent? An quia in Thermarum coquinam hyeme conglaciatis vndique petris, in-

ſufficiens, & parcior aqua influit, vnde neq; Dominorum Thermæ, neque inferiores manare poſſunt? An quia Cæleſtes influentiæ, vt placet S. Thomæ hyberno tempore, eas ſurſum euocare nequeunt, an quod alij affirmant, terræ inſit vis attrahendi aquas, quam ſicut venæ Sanguinem ex hepate lambunt, iſthæc ex mari aquam trahat quæq; durante Bruma inbecillior ſit? An potius quæ in Aquæductibus fieri videmus, priores aquæ Marinæ, ex quibus omnes mundi fontes potiſſimũ enaſcũtur, à ſubſequentibus protrudendo tandem per varios anfractus effe-runtur, hyeme autem alicubi retardantur frigore, aliaque occultiori cauſa? Hæ ſiccatæ per hyemem Aquæ Thermarum, rationes, ſi diſplicent, mecũ aſſeuera, hunc Thermarum abitum, vti maris quoq; fluxus & refluxus eſſe ex genere corũ effectuum, quos naturę auctor nos admirari

2. ſent: diſt: 14. 4. 1. art: 5.

rari, ſcire autem nequaquam voluit. Et hæc per mira tanta miracula Thermarũ, quid niſi magnale Factoris ſui loquuntur? Paracelſus, vix aliquid de exiccatione & defectu fõtis & reditu eiuſdem, recte ſcripſit, niſi illud admittas, quod ſolis ſyderumq́ue ſecretâ virtute Fabarienſem Fontem hyeme ſiccari, ſubſidere & inareſcere, vere nouo elici, augeri & reproduci exiſtimat, quemadmodum vernante aut æſtuante Sole. Tract. de Ther. Fabari.

Et purpuraſcit Sanguineum Roſæ
Oſtrum, ac odorum lilioli niuet
Ebur, gemitq; onuſta Vitis
Pampyneo grauidata Nimbo
Et rurſum ſtata vice cadunt.

Caput XI.

VSVS THERMARVM

PRÆTER aliarum balnearum morem, vſus Thermarum Fabarij, admirabilis eſt, ſiue Magnates, ſiue Plebeios ſpectes. Prima Maij

die, vetere Calendario ſub veſperum innumerabilis multitudo, ex vicinis agris, Alpibus & vallibus accurrit, omniſque circumfluentium fæx, in Thermas partim valetudinis, partim voluptatis gratiâ deſcendit, peruigilē in aquis noctem trahentes, quam lotioni iuſtæ, abſolutæque balneorum curæ æqui parant; Poſtero mane abiturientes, interulas crudiores ex cannabi, Thermalibus aquis ſtudio inebriatas amiciunt, vim Medicam ineſſe rati. Quod & nonnulli Nobilium hoſpitum circa induſia & linteamina madefacta abituri obſeruant. Et quod alibi ſcrupuloſe magnis impenſis Medicorum ſuaſu fieri conſueuit, vt gradatim ac ſenſim aſcendendo & deſcendendo quotidie per horas balneę auſpicentur & finiant, Fabariæ non obſeruatur, ſed pleriq; deditâ opera, maximo cōmodo, & ſecuri aduerſorum caſuum, primis ſtatim diebus, Thermas plurimis horis

horis insident. Hinc euenit, vt multi dies noctesque Thermis nunquam ęgrediantur sed cibum simul & somnum in ipsis capiant. Ditiores id propter voluptatem, quam ex Thermis percipiunt, pauperes autem propter egestatem, vel quò citius lotionem omnem absoluant, expediantque: Plerique etiam Magnates in gloria ducunt præter integros dies, plurimis horis etiam nocturnis posse Thermarum calorem perpeti; quidam insuper plurimo potu Thermarum gloriantur. Etsi autem locus per se insuauis, deformis & squalidus sit, in Thermis tamen tanta est voluptas, eaque verè sola, vt multi per octiduum, eis non excedant. Ita & Nobiles quidam magno cum fructu faciunt, non tamen semper modus ille perpetuò Thermis innatandi, omnibus conducibilis fuit. Qui autem ita continuò & sine intermissione Thermis insident, nouem, de-

cem aut duodecim dierum ſpatio, totum negotium abſoluunt. Multi tamen hanc indefatigatam balneandi rationem non probant, dicunt namque ſtrenua hac lotione, calorem natiuum parteſque Nobiles mirum in modum labefactari. Experientia tamen & vſus rerum Magiſter in plurimis contrarium oſtendit, ad quam tamen experientiam ſic ait Guarinonius. Experientia hæc fallaciæ Elenchum patitur, complurimi leuiculum morbum violentâ naturæ oppreſſione curant & vitam interim multis annis neceſſario decurtant, calorem naturalem diripiunt humidum radicale corrumpunt. Nullus quippe exceſſus naturæ, non certo detrimento eſt: licet non cito ob reſiſtens naturæ robur ſe prodat: ac veluti qui venenato Hydrargyro perunguntur, à lue quidem euadunt, ſed breui poſt ſecutura omnium virium iacturâ. Equidem nullum principium

cipium Physicum est, quod huic violentiæ non reclamet, quod obiter conscientiâ compulsus innuere omnino debui. Pauciores verò & opulentiores tres septimanas circiter lauant, eoque amplius prout morbi, vel corporis conditio postulant. Quam plurimi orta præsertim corporis excoriatione ne quidem tantillum foris vel in mollissimo lecto subsistere volunt aut queunt. Aquæ enim ęgros quasi magnes attrahunt. Alij præ assiduitate balneandi, & insomnio ad insaniam rediguntur, & interdum aquis Thermalibus, vicinis juxtim sedentibus & sopitis, aliqui hauriuntur.

Alij sæpenumero immaturè & inconsultè nondum absolutâ lotione, cum eis subitum Patriæ desiderium admouetur digressi, maximo incommodo, trium, pluriumue dierum iter subinde relegere, & ad Thermas reuerti aut certè sequenti anno,

balneationem repetere compelluntur. Gulæ felicitates, menſarum decus, crapulam, temulentiam, vinaque generoſa non fert vſus Thermarum Fabarienſium: Nec iocamur tecum, nec terremus. Quin etſi electiſſima vina inferas, loci ſecretius ingenium illâ breui mirabiliter corrumpit, alteratúe. Vnde alternis diebus, parumper tãtum inportamus ne continuo aceat, aut muceat. Idque non ſine ſingulari DEI prouidentiâ accidit. Quid enim quæſo impedit magis operationem Thermarum quàm in cibo, & potu, tot lautitiæ & exceſſus?

Audite mortales: pretioſo & Cryſtallino hoc Thermarum Fonte nullum gulonem, ne dum bibonem impunè diu lauari, nobis tacentibus, experientia vociferatur. Res prudentibus nota, vinolentis quamquam immeritis, præ commiſeratione, breuiter repetenda. Scitum

eos qui cum ex validiori forſan motu vehementius incaluerint, ſi æſtuantes etiamnum ſitim continuo vini hauſtu liberaliori obruant, confeſtim paullum pòſt Hecticam aut aliam peſtiferam febrim, aut ſi optimè cedat craſſum & prævalidum capitis catharrum aut pleuritidem, ſeu quid ſimile, tam importuno potu ineuitabiliter, pró dolor! incurrere, complures mortem ipſam. Cauſa eſt, quod dum intus foriſque poris & meatibus corporis vbique apertis, homo exardeſcit, humoris exiſtat appetentiſſimus, quo fit, vt generoſius merum largiter exhauſtum ſine mora quantocyus, antequam â ſtomacho excoquatur, crudum per Hepar in venas, inde per omne corpus tranſmeet. Eam immaturiorem & crudam humiditatem, humanæ conditioni comprimis noxiam moleſtia, putor, ægritudinum lethiferarum parens corruptio in-

fallibilis consequitur. Istud si corpori semel aut semihora duntaxat inflammato subaccidit, quid integrum diem ex calidâ balneanti? Vbi intimus sanguis ad extimum cutis per excoriationem exsugitur, & corporis omnia patent? Tum longè celerius largior vini haustus apertũ corpusculum, absque obstaculis vndequaque peruadet, Thermæque ingurgitatum merum semicrudum & putridum in locum ducti sanguinis attrahent. Permitte mihi, sepositâ quæstione, paucis irasci, & castigare vinolentiam. Non sunt ad cauponam faucibus, ventre ore & lingua contenti, oculis quoque vinoſi sunt. Bibitur auro, gemma crystallo, crateras magnos statuunt, nisi splendeat, rubeat, subpallescat, aut candicet in vase vinum, stomachantur, cogitur, vrgetur, ridetur, prouocatur sobrius. Sic sitiunt, sic bibunt, sic respondent, sic pereunt.

Funeribus ſuis arridendum eſt. Deus meliora! Sed ad propoſitum noſtrum.

Nunc hoc viuendi, imo bibendi modo plerumque Thermas ſaluberrimas ægris obfuiſſe comperimus? Non quidem ex ſe, ſed ob intempeſtiuam commeſſationem. Quia autem incommoditas loci Thermarum Fabarienſium, vt in victu magnopere excedatur, non ſinit, fit vt Thermarũ vires, non interrumpantur, ſed ſine impedimento lotionem promoueant. Aſſolent quoque ipſæ Thermæ, nonnullis diebus edendi appetitum ſiſtere, cum videlicet permaximè operantur, magis autem ſitibundi pro potu perfuſum aquâ panem, vel lactucul æ Thyrſum, vel ſucco ſi pomi cythrorum, arantiarum, granathorum morſum, vel fragorum grana ſacharo obſperſa adhibent. Quibus Thermæ potiſſimum ſalubres fore creduntur, eorum corpora

pora protinus suctu quodam inuadunt, & vt morsus videri possit, stomachum quoque eis & intestina attrahunt, ac spinæ dorsi quodammodo contracta affigunt, eaque omnia inania & leuia faciunt: Cibi desiderium vehemens accendunt, hilares & recreabundos efficiunt. Quibus autem noxiæ & exitiales futuræ sunt Thermæ (si tamen vllis vnquam fuere) primo nauseabundi crebris ructibus perurgētur, Hypocondrya murmurant & extenduntur, venter inflatur, vires prosternūtur cibi fastidium oboritur. Hæc si alicui acciderent initio ingressus Thermarū ex Antro in Valēz, aut Fabarium proficiscitur quò deuenienti, è vestigio meliuscule erit, & symptomata remittunt. Quamquam hæc aliquibus eueniant nihilominus tamen Thermæ sæpius cum fructu vsos fuisse memini, inter quos fuit Serenissimus Princeps Raziuilius Dux Birze Dubincki, ac

Schlurko,

Schlurkô, quē honoris causâ hic ſæpi' nominaſſe voluerā: Qui diligenter aſſiduo Thermis innatant, plerunq; altera;tertiaue die, in aliquibus quoque viginti quatuor intra horas apparet excoriatio ſiue Epidermia.

Nonnulli officij tantum causâ, amicos inuiſentes, dum blandiente aquarum temperie, diutius aliquantulum Thermis ſeſe proluunt, improuiſo intra aliquot horas exulcerati, rubeá ſcabritie inficiuntur: atque inuiti poſtmodum, præter opinionem balnei curam inſtituere coguntur. Tantum quidam excoriantur vt ſi loti induſia ſuperamiciant, aut lecto ſe cōmittant, vna cum ipſis linteaminibus & interulâ ad Thermas ſint deferendi: Alij quamdiu ibi ſubhærent, iterum iterumq; excoriantur, alij ne dum ſemel quidem quantumcunque lauent, his tamen proinde, ac illis prodeſſe animaduerſum fuit. Ex quo vnico, vt

cætera ſecludam, neruoſa, irrefragabilia vtiliſſima & perquam maximè ad ſalutem publicam neceſſaria colligent Theoremata, ſynceramue ab fucatâ balneandi ratione facili negotio diſcernent Archiatri. Thermæ Fabarienſes, quamdiu fluunt, ſalutares eſſe ab Incolis perhibentur, tametſi per omnem Hyemem, ob frigoris aſperitatem eis vti vix quiſquã poſſit. Duos leproſos olim totá hyeme illic lauiſſe & non omnino perſanatos fama vulgauit. Quin eoſdem & plene percurandos fuiſſe, ne quidem ſubdubitat noſter Guarinonius, dummodo, inquit, cum balnei vſu, pro medicorum arbitratu, internam quoque ſui adiunxiſſent curam. Aitque præterea Ego vero neque lepras (niſi vetuſtate admodum confirmatas, queque in Elephantiaſes migrauere) ab his Thermis proſcriberem, quin potius præmiſsâ, tam corrupto humori congrua frequentiore

euacua-

euacuatione , integrè percuratum eos iri, certis, certum quodammodo habeo, rationibus, satis est veteranas & contumaces scabies (lepræ sorores) ab eis extergi & emundari. Id quod leprosorum cæteris, Thermarum Fabarij percupidis documentum esto. Vtinam pro his pauperculis seiunctum tam certo, nouo in ædificio domicilium siue lauacrum fiat, propriusque in illud riuulus deriuetur, quam pro certo curationis beneficiũ experturi sunt, Thermæ verò, vel hoc solo titulo, celebriores celeberrimis euaderent. Misellis prouidè prouideri poterit, nam è superiorum Thermarum defluxu, seiuncta quædam posset commodè constitui Natatoriola. Quo quid erga miseros misericordius præstabit Fabariæ Princeps? desidero, & hoc insigo. At satisfiet huic meo, & D. Guarinonij desiderio, quod pro leprosis adeò votiuè petimus, qui separatim,

paratim, aliquod habebunt balneolum, iuxta factam ab R.mo loci Abbate promiſſionem. Prægnantibus aliqui non nocere, ſed prodeſſe affirmant. Res matris & fœtus cauſa, triplici periculo grauis, duorum corpora & alterius inſimul animum reſpicit. At nequicquam deinceps damni eueniat, occlamat, admonet, proteſtatur pius noſter Guarinonius. Grauidæ, inquit, nequaquam cæterarum more diu noctuque lauitent, continenter, vix breuiori horulâ permiſerim idque ſummum bis ex die, quod de validioribus, non delicatulis & mollicellis aio, eas quippe potius è Thermis seriò ac ſeuerè eliminandas quam tolerandas adexiſtimo. Siquidem iſtud abſque euidenti partus diſcrimine euenire nequit, niſi dicto modo cautiſſimè euitata omni excoriatione lauent; Sanguinolentarum alia eſt ratio. Enimuero, cum ſubinterdum craſſior, vegetior

getior & agrestis prægnans periculum effugit, id in exemplum sequelamúe minime trahas velim, quod enim vni hoc, centum alijs non continget. Sic ille.

Qui ex lue venerea ægrotant, ab vsu Thermarum Fabariensium, lædi nonnulli existimant. Medicamentum enim hocce magnum atque sacrum, morbum istum profanum, sordidumque non admittere aiunt immo ne eos quidem sufferre qui hydrargyrum tractarunt. Quod falsum esse experientia ostendit. Fabritius quippe Hildanus anno 1610. hasce Thermas inuisens, linimentum ex Mercurio crudo, axungia porcinâ extincto confecit, eoq́; totum fere corpus, præter caput & pectus iuuenis cuiusdam Tyronis sui iniungi curauit & deinde Thermas ingredi iussit, vt exploraret, an mutatio aliqua inde ipsi accideret, sed nulla subsecuta fuit, fæliciterq́ue

poſt iniunctionem Thermis, velut & ante illam vſus eſt: quin immò certioris cognitionis cauſa in ſeipſo quoque idem tentauit; Sed neque ipſus vllam alterationem expertus fuit. Diligenti tandem & nobili diſputatione digna quæſtio nobis iam oritur, quam & Croquerus Sereniſſimi Ducis Raziuili Medicus, Gulielmo Fabritio Hildano ex Poloniâ nuper in Heluetia propoſuit quamque plurimi Nobiles ac Plebei ſæpius iam de anno 1629. Per æſtatem ingenioſo litigio examinarunt, an videlicet aqua Thermarum Fabarienſium extra illam ſpeluncam, in quâ duo illa lignea domicilia ſpecui imminent, eodem fructu ſine vlla efficaciæ & virtutis iacturâ in campum aliquem, & patentiorem locum educi, ac vſui aut ſaluti eſſe poſſit foras deinde educta?

Nemo ambigit tantum Aquæ Thermalis etiam foras Thermarum ſpeluncam

ſpeluncam efferri poſſe quod vnius alteriuſuè corpori lauando ſufficeret. Et verò ex ſpelunca illa profundiſſima in montem, primo humeris, deinde equorum ſubſidio eſſet transferenda. Quo cauſu aqua illa, cuius calor ad originem adeò temperatus eſt, vt vnicuique ex induſtria accomodatam diceres, iter vnius horulæ in proximum viculum Valenz, aut domum Ragolenſem apportata frigeſieret, ibidemq; rurſus calefacta, vires ſuas plurimum deperderet: harum enim facultas non in craſſa quadem ac terreſtri, ſed aërea & ſpirituoſa materia conſiſtit, accedit intra antri barathrum, aquam calidam tam copioſè ex rupibus promanare, vt ad rotas molares plures circumducendas facile ſufficeret; ſi quis ita ad ſcaturiginem locum occupauerit præſertim in ſuperiori balneo, is continuo & ſine vlla intermiſſione, noua & recente irro-

rabitur aqua & quidem integra ideſt pleniſſimè ſuis viribus prçditâ; quod minimè fieret ſi ex ſpelunca in proximam villā aut domū aſportaretur, vaporem præterea Thermarum ſaluberrimum eſſe affirmaui, quod ſi quiſpiam eâ vteretur aquâ Thermali extra ſpeluncam is vapore iſto ſalutifero priuaretur. Commodius autem & opportunius Thermarum Aqua in ipſa hoſpitia Fonti proxima intraque Antrum ſita deferri, eaque haud inſalubriter forſan lauare poſſet. Lotum eſt in eadem aqua non ſine fructu, tum in Valenz, tum in Ragaz. Et anno Chriſti 1596. duodecim lagenæ, aquâ Thermali plenæ Lucernam vſque Medicorum conſilio, pro lauanda Nobili matrona ablatæ ſunt, quibus non ſine fructu vſam eſſe ex nobili colonello & Hieroſolimorum Equite Rodolpho Pfeiffer Lucernate Heluetio cognoui. Cæterum quoque à fonte ipſo, vſque

vſque in ſupremam montis planitiem, quà Fabariã, quà Valenziam verſus fictilibus, æreis aut ligneis tubis, rotarum aquatilium, & Torrentis Taminnæ opella ſurſum duci, ac in ſublimè eleuari poſſent, irrito tamen labore tantæ molis opus foret, hyeme vniuerſa ſubruente.

Poſtremo tandem ſexennio abhinc, ſimplicibus viris occurit Thermales aquas abſque virium & caloris iacturâ, quibus vtiliſſimè lauarent aduenæ, immo, vniuerſum Fontem calidum foras in patentem & liberum locum ſecus amnem Taminnam ex parte Valenz, ſeu in radice montis Vaſanæ, intraque vallem Sanuz in petra ipſa per tubos Aquæductus immiſſos ducentis ferè ſeptempedis, ſeu ſeſqui iactu validæ bombardæ ab ipſa origine educi, deriuarique poſſe: quibus modernus Abbas cùm locum à deſignatis hominibus ſolerter explorari iuſſiſſet

poſt ſerias cogitationes aſcenſus, in diſcurſu & colloquio familiari, deinde alios non paucos prudentes viros Medicos, Philoſophos, Architectoſque ita docuit vt & ijdem ſecum ſenſerint, aquam Thermarum cum calore, ſpiritibus, vaporeque facillimo impetu, conuexitate fluxum adiuuante, per tam breue ſpatium, commodè foras efferri poſſe.

Eam, de Thermarum translatione quæſtionem (velut pauidam ſub frugum manipulis coturnicem tantum veſtigat, non captat aliquando canis) tum Medici lento odore & tacitè ſecum agitare ſcrutarique verius, quam aſſequi ceperunt, rem acribus ingenijs apprimè dignam alijs poſt ſe deferentes. Et cecidit ſors ſuper Guarinonium noſtrum, Medicum à pietate & doctrinâ percelebrem. Cuius ea de re ſubtilem, efficacem & prænobilem diſcurſum ſub calcem ferè operis afferemus à nobis latinitati donatum.

Atque

Atque hactenus de veteri Fabarienſium Thermarum loco, ſitu, naturâ, virtutibusq; &c. egimus, nunc vero cum ingenti gaudio de feliciſſimâ Fontis in commodiorem locum Deriuatione narrare auſpicabimur. Lege, attente Lector, & ſub animi iubilo Ter optimo Cæleſti Numini ab optimo maximo beneficio, maximas age gratias.






PARS POSTE-
RIOR.

De Fabarienſium Thermarum ex horribili antro in locum amœnum deriuatione.



Pia mater & humilis,
Naturæ memor fragilis,
In huius vitæ fluctibus,
Nos rege tuis precibus.



IN THERMAS FABARIAS A REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISSIMO PRINCIPE AC Domino Dn. JODOCO, Monasterij Fabariensis Abbate, è speluncâ horrenda in locum commodiorem & tutum deriuatas.

ELEGIDION.



Icut inaccessis gaudent, & montibus altis
Pæoniæ Plantæ, & fert fera spina rosas;
Abdita visceribus generosi vena metalli
Abstrusis terræ gemmaq; rara latet.
Sic Natura suas Thermas quoq; mersit in antrum
Horrendum intuitu prouida Fabarias.
Vidi equidē Euboicas propè Cumas tristis Auerni
Descensum, ad Stygias & Phlegetontis aquas,

Quò

Quò pius Æneas fertur penetrasse, sed illum
Exuperat longè hæc horrida & atra specus,
Cuius ab aspectu perterritus aduena primò,
Sæpè, domum rediens, his valedixit aquis,
Quas nūc Fabarij Princeps IODOCVS aperta
In loca deduxit, commoda, tuta Suu.
Vos igitur, quoscunq; caput, neruiq; dolores
Mēbraq; lassa grauāt, quosq; Podagra premit;
Queîs aures, oculiq; dolent, reliquiq; fatiscunt
Sensus, atq; acies diffluit ingenij;
Viscera farcta quib⁹ sunt sordibus, vnde malorū
Ilias, Ieterus, Colica, Febris, Hydrops,
Calculus, & plures alij longo ordine morbi
Proueniunt, vestræ proxima causa necis,
Corporis effætis languentes viribus, & tu
Segnior in thalamo fæmina virq; tuo,
Et quibus exterius clades accepta, vel vlcus,
Fistula, vel vulnus, clausa fuêre male,
Os quibus est fractum, cariosum, sede remotum,
Quos scabies vexat, diraq; Lepra minans,
Affluite huc, lætiq; nouis ab origine Thermis
Vtimini primâ; iam via trita patet.
Numinis auspicio, summi, Mediciq; periti
Consilio, vobis Cura secunda fluet.
Exterius cute membra noua vestita, priores
Interius vires denuo percipient.

Henricus Schobingerus,
Art. Med. Doctor, P.

SEQVI-



SEQVITVR DE STVPENDA ET INEXPECTATA FABARIENSIVM THERmarum ex Antro suo recens deductione Anno 1630. Maij 19. absoluta.

Caput XII.

INCITAMENTA ET OCCAsio deducendi Thermas.



Vàm periculosa ad ipsam Fontis Fabariensis scaturiginē fuerit antehac balneatio studiosè occultarûnt. Inde & ideò perpauci nôrunt; Aliquot malo suo sensêre; etiam sobrij adeun-

adeuntes aut redeuntes præcipitio internoctu & interdiu nonnunquam collisi. Aduenæ lauantes saxorum, arborum & telluris congestæ frequenter improuisâ ruina, vento vel nimbo fortè concitata, perterrefacti, & fugati, interdum propè læsi. Ipsa hospitia saxis quassata, obtrita semel & iterum funditus niuium & glacierum labinis ita prostrata, & fluuij impetu auecta, vt ibi quærerentur, vbi pauxillum ante constitisse visa. Torrens tumefactus tantam lignariæ molis ac sordium copiam subinde secum prouoluit vt hospitiorũ subuersionem & Incolarum subitã perditionem & sepulturam intentaret. O quoties foris conclamatum, etsi falso, omnes quotquot lauaturi ad balneas descenderint subitanea mõtium ruina oppressos! loci facies ex se tetra admodùm vel ipso sui aspectu horrorem & formidinem habitato-

tatoribus incussit. Adhæc solari seu lunari lumine perrarò nostrum, per horulæ spatium collustrabatur Antrum. In ipsis balneabas, vbi ægri valetudinem quæritabant, aliquando aquis hausti, mortem ipsam, vigilijs nimijs, aut balnei vehementiori vsu confecti, repererunt. Pons fractus interdum illabebatur. Domus breui annorum cursu aut computruêre, aut saxorum vi procubuerant, ingenti sumptuum impendio & ferè præsenti hominum periculo restaurandæ. Prægrandes impensæ, ad sarta tecta tuenda fermè prouentus añuos superarunt. Maiora nè commoda, an incommoda? sæpè nescisses. Cæptam balneationem ex optimatum & vltimatum numero complures fastidio & timore loci diffugientes quandoq; abruperunt, Hei! quæ damna! aliquando petras casuras, & montibus omnia cooperienda, Antrum Thermarum con-

clusum

cluſum iri, autumabant non pauci. Quis neglectus animarum iſte? aut quæ querela de Plurij oppido? quantum mali potuit hic accidere? Ecce crebrò ducenti aut trecenti in hiſcè collauabant faucibus quaſi ſepulti, perituri momento aliquo luxatis supernè pendentibus ſaxis. Verbo. Quis omnia enumeret? Caſus, pericula, detrimenta, impenſas, Curas, timores?

Plurium Rhetorum Municipum montis ruinâ oppreſſum Anno 1618.

Ob talia cogitatum maximè à ſexennio, quando ſuperior Thermarum Domus, hyemis iniuriâ, imitùs deturbata, intolerabili moleſtià & ſumptu reparanda fuit, de Fonte aliorſum transferendo. Seriò tum in eam cogitationem deſcendit primus, melioris vtique ſpiritus inſtinctu, Alpeſter homo ſexagenarius Ioannes Mader Fabarienſis, de Plagis, Thermarum accola. Hæſit viro hæc adeò pertinaciter cura, vt nec interdiu, manuario labore occupato,

pato, nec internoctu dormienti ea abſcederet ſollicitudo. Proindè iteratò luſtratis rupibus, ſaltu & meandricis ſpælei, fluminiſque perrumpentis flexibus, futuro ponti & lauacro foris conſtituendo, ducentis & quatuordecim ſeptempedis ab Origine Aquilonem verſus, locum ipſe ſecum prædeſignauit tutum & aptiſſimum. Aliquando inter ſaltus & rupium anguſtias deprehenſus, dum locum meditabundus circumſpectaret, abtranſcurrente dama in præcipitij diſcrimen fermè vrgebatur. Hem malam beſtiam! Maiori periculo poſtmodùm à Septentrione contra ictum Torrentis ad dimidium ſpatij verſus Thermarum Originem, vrinando progrediens, iter relegere foras coactus erat. Necdum fiduciolâ & ſpe ſuâ excidens, imò felicium cogitationum prægnans palam edixit eas balneas quæ intrò paucis vſui forent, foras
 educi

educi ibique aduenis acceptiſſimam balneandi ſtationem poſſe præparari. Cogitatum hominis & molimen quà exteri, qua domeſtici, præter vnum Modernum Abbatem, qui rem exactiùs penſiculatus, tacitè cõſiderauit, riſimus vniuerſi, velut vetuli inſaniam. Nos impendia inutiliter fieri, ingenitam Thermis virtutem & natiuum calorem tanto ductu diſſipari; iſthæc Dei magnalia in ſpecu cum timore & tremore Numinis vſurpanda, veteres & maiores noſtros nobis fuiſſe magis catos & naſutiores, neque tamen id vnquam pertentaſſe; ſuſtinendum hic & abſtinendum reſpondimus. Et ſanè ad opus tale patrandum, totus orbis infirmus futurus videbatur! Reuelaſti ô Deus, ea paruulis, vt documento ſit, nihil eſſe quod viribus humanis cum Dei inſpiratione cooperantibus effici non poſſit.

Matth. 11.

Secundus ab Madero Ioannes Riſch

Risch B. M. Thermarum director, loci facie penitiùs, & ipsius Maderi consilio exactius examinato, grauiori etiam periculo clam, ab origine Fontis Anno 1628. Octiduo ante Domini Natalem vsque ad modernum recens ædificium, conto innixus præalto vadauit, atque infrà speluncam in Occidentali Pariete (B. M. Magdalenæ deinceps eam appello, quod specui Sanctæ huius peccatricis in Massilia rotunditate, capacitate, & naturali fornice simillima perhibeatur) circa altissimam Torrentis voraginem collo & naso tenus profundè incidit, qui aliàs per id temporis rarissimus fluebat, at incolumis emergens ipsam ingressus est, miraculi causâ, speluncam. Ibidem mox excelsiori resumpto spiritu & viribus, totum Torrentem emensus, ad hodiernã deducti fontis aream peruenit. Quæ nobis Fabariam ordine retulit, asseuerans Fõ-

Spelunca S. Mariæ Magdalenæ.

tem magno patriæ & Monaſterij emolumento foras deduci poſſe, Quieuimus tum. Non acquieuimus.

Anno demum M. DC. XXIX. dũ ferè quotidiè ſapientum plures Cænobiarcha de tanto opere & Aquæductu ſuſcipiendo maturè conſuleret, intereaque moram ex morâ necteret indubiè multifariâm præpeditus tum annonæ ſæuitiâ, & dirâ hominum mortalitate, tum alijs de cauſis, demùm ab ipſo Mundi Opifice Deo videbatur ad id nihiloſecius ſtimulari: eius quippè arcano permiſſu inferius Thermarum hoſpitium ſubitò incendio (puellarum incuriâ excitato, illic ob peſtilitatem, foris quæque vaſtantem, latitantium, & lauantium) pridie Sanctæ Barbaræ Nonis Nouembribus conflagrauit. Fortunâ, an infortunio te Iudicem appello. Eâ deflagratione velle Devm coniectabat ipſe Abbas

Hoſpitium Antri inferius incendio perit.

Abbas vt noua pro lauaturis domus, Fonte foras abducto, alibi posthac condatur, nolle autem vt in locum exustæ alia ita grauibus impendijs denouo, tot tantisque periculis obnoxia collocetur.

Accendit Abbatis nostri propositum & aliud quippiam, quod miriones aliqui demirari voluerunt. Factum narro. Fuit in vltima Pannonia, tempore illo, Ioannes Zeller Algoius, noui operis architectus, sensitque per aliquot dies occultâ quadam & ignotâ suggestione aliò se impelli; quare nescius quo nam traheretur, retrò ascendit venitque Pragã Bohemiæ Metropolim; neque verò illic diutius, etiamsi liceret, subsistere, libuit. Idcirco Bohemiâ quoque valere iussâ, Patriam statuit repetere: & mirabatur secum ipse iter denuò ingressus, quid ità patrij soli, aut alienæ terræ amore inuitatione atque circuitu, tempore tam insolito & insolente duceretur?

Cæterùm vbi Algoiam intrauit commorari noluit, abijtque illicò & indidem, varia voluens animo, & Fabarium intus ſe reuocari ſentiens. Adeſt itàque Ragazi tertio idus Decembris, ſæuiorem nullatenus luem ſubueritus. Tum verò opportunè Reued.mus Dominus Antiſtes exquiſiti & nuper ſibi optimè perſpecti Opificis copiam nactus, in grandem hanc cum Venerabilibus Coaſcetis ſuis conſultationē dextrè & maturè deſcendit, qua vnanimi ſenſu ac ſententiâ, nutu vtique Numinis decretum & conſtitutum fuit, poſito priùs ante oculos vniuerſo argumentorum pondere, & volutatis inter ſe rationibus; Negotium noui balnei & Fontis tranſlationem ad commodiora vallis loca, cum cæleſtis Auxilij imploratione aggrediendum; celſo quidpiam animo ad poſteritatem celebre audendum; Sperantes, inquiunt, Deus ipſe iuuat, cui euentum

Ragazum pagus ad radicem montis Fabarienſis.

Decernitur Fontis Trāſlatio.

tum permittimus: Imprudenter nouam poni domum in terribili, periculoso & obscuro priori barathro; millies forè satiùs, dictitant, seu Monasterij seu communis ac publici boni vtilitatem spectes, si quidem necessariò rursum ædificandum sit, vt in loco aprico, lucido, patente & securo iam iam foris, secundum Torrentem infra conuallem Sanuz designato, & tum fortuitò reperto, opus non temporariâ morâ, sed æternitatis destinatione, exædificetur, & Fons Thermarum cursum quam primùm ab origine sua, aliquantò longius, canalium beneficio traducatur: Certò ibidem horrorem, trepidationem, obscuritatem, angustias, sordes, pericula, ruinarum minas, præcipitium, murmur & querelam Torrentis, fumos, nebulas, aditus & reditus difficultatem, aliaue mille incommoda veteris Balnei abfore, & sublatum iri. Dictum. Fa- Comoditas noui balnei.

ctum. Fauſtiori euentu, quam ſperabatur, mirante & ridente mundo. Hæc tranſlati balnei Occaſio fuit & Cauſa.

Caput XIII.

CONVENTIO AD DEDVcendum Fontem Thermalem.

REuerendiſſimus Fabarij Abbas ad diem Decembris 19. Anno 1629. Dicite Angeli & Cælites, quo auſu quà Numinis prouidentia? præſentibus Religioſis viris ac Dominis Zacharia Zvvifel Oeconomo nũc Venerabili Decano & Wilhelmo Ionas præsbyteris, & ingenuo atque honeſto Domino Fridolino Galatin Glaronenſi, Oeconomo Monaſterij in Ragaz, cum lignario Opifice Ioanne Celler Algoio, Thermarum Aquæductum, quo Fabarienſem Fontem à ſuo ortu collectum ſecundum

cundum Torrentem Taminnam ad statum locum per antri fauces & Rupium anfractus in decumanis canalibus foras abduceret, Certis conditionibus diu multumque deliberatis, sub prægrandi pecuniarum summâ paciscitur.

Primò Opifex ligna vniuersa Fabricæ necessaria ex Monasterij saltibus & syluis suamet cædat concidatue sumptu eaque ad oportuniora seponat loca, quo boum iuga commodè adigi & ligna illinc aduehi queant; Sin opus nouâ viâ, Cænobij sumptibus fiat.

Rursum Canales Aquæductui necessarios ex abiegno; Trabes autem pangendo ponti substernendas ex laricinio ligno componat.

Tertio Cænobium omnem eiusmodi ligni materiam ad locum, opificis arbitratu seligendum, citra eius impensas, suorum conuehat famulorum & boum operâ.

Quartò quotuſquſque Canalium ſigillatim decem pollices altus totidemque latus eſto: Fundus operculum & ambo cuiuſque canalis latera quatuor pollices craſſa ſunto. Operimētum ſeu tegimen, pollice tenus immittitor. Inferiùs affabrè dolabuntor. Canalium iuncturæ ferreis conuinciantur hamis.

Quintò per totam Antri longitudinem quouſque ſeſe trahunt canales, iuxtà eoſdem ponticulum duos pedes latū & quatuor pollices craſſum adſtruat: quem Torrentem verſus oblongis perticis velut ſepe quadam tutò communiat:

Sextò lapicidæ artificio Caldarium (**den Keſſel beym Vrſprung**) id eſt, Foueam Fontis ad ſui originem quadratim pulchrè & aptè excauet & excidet, dehinc querceam capſam includat, eamque diligenter vndequaque, ne quà vapor exhalet aut aqua pereffluat, affuſâ materiâ picabit.

Septimò

Septimò omnes trabes portatiles quotquot fuerint necessariæ Opifex præparet, aptabituè, itemq; foramina, pro cuiusuis trabis capite infigẽdo profunda octodecim pollices in petris cædat. si qua insuper opus, vnicuiq; trabi sua substractio fiat.

Octauò ad eam loci extremitatem, quo Thermarum Fons deinceps vsurpandus erit, temporaria domuncula seu tumultuarium balneolum decem pedes sublime & amplum constituetur, vbi & Thermarum posteà primò experimentum facient.

Nonò Opifex Resinam, funes ductorios, rem omnem ferrariam & si quæ similes requirantur materiæ sine Monasterij additamento suis subministrabit impendijs

Decimò opus ipsum legitimè adeò & fideliter absoluat, vt si fortè periti Architectones in eodem errata deprehendant, tum ipsi tantun-

dem

dem de ſua condicta mercede defalcetur, quantum errando forſan fefellit.

Vndecimo His, vt dictum, ritè confectis Monaſterium Fabarienſe, eidem Ioanni Zeller pactum pretium vſualis monetæ, valoris Curienſis adnumerato.

Duodecimo Abbas ſeu Monaſterium hebdomodatim opifici de parata pecunia proſpiciat, quò & ipſe tum famulis tum cæteris hominum, pro inſtrumentis alijſue rebus coëmendis, dare & facere ſatis poſſit.

Ad Conuentorum teſtimonium vtrique parti pares aſſignatæ ſunt eadem conſcriptæ manu. Actum vt ſupra. Pactum. Factum. Quid iam miretur in hoc quiſque primum? Inuentorem, an Inuentum? Artificem, an Auctorem? Auſum aliquem hoc excogitare, an ſucipere? Parere an iubere? Ingens Fabrorum furor fuit, ſcandere, penetrare & pendere auden-

audentium tam infidis, excelſis, & pendentibus petris; At immenſum opus, locique conditionem perpendenti incidit acquieſcere in eruditiſſima Domini Ioannis Guleri gratulatoria Epiſtola, quam verabatim his noſtris iſthic loci inſero.

Illuſtriſſime & Reuerendiſſime Princeps Domine ac Patrone coll.me

DIci vix poteſt quantam ex litteris Illuſtriſſimæ dignitatis tuæ, heri mihi redditis, nec non ex adiūcta, ardenti ſpiritu affabrè concinnata, declamatione voluptatem perceperim; idque plurimis quidem, maximè autem duobus nominibus: Primò quod antiqui Illuſtriſſimæ Dig. T. in me fauoris & beneuolentiæ indices locupletiſſimi eſſent; deinde quod ingens illud in humanum genus collatum benefici-

um,

um, ob Thermas in æquiorem locũ deriuatas (de quo quidem fama ad nos perlata erat) ità certũ reddidissent vt nullus apud me dubitationi locus relictus sit, Ingentis fuit animi, opus tàm arduum aggredi, maioris, illud tàm citò, tamque feliciter effectum dare. Celebritatem nominis sui, sicut alijs pietatis, doctrinæ, ac integritatis documentis, ita etiã hoc opere tam eximio Illustrissima Dig. T. æternitati consecrauit. Quicquid indè commodi ac voluptatis ad vsum publicum redit, id omne Reuerendissimo Præsuli ascribendum. Quis enim hanc saluti humanæ consulendi viam operosissimam inuenit? Iodocus: Quis eam promouit? Iodocus. Quis denique perfecit? Iodocus. Nam continuum illud Maderi desiderium, quo diu flagrauit; illi cum multis millibus fuit commune, nec per se quicquam ad communem mortalium vsum

Abbas hoc opus secundum Deum modestè aliorum sagacitati adscripserat.

fum

ſum is contuliſſet. Zellerus nullam manum admouiſſet, niſi ad hoc conductus fuiſſet. Venerandum collegium Patrum nunquam tam difficiles deliberationes ſuſcepiſſet niſi authoritas Reuerendiſſimi Antiſtitis ſui interueniſſet. Meritò igitur Illuſtriſſimæ dig. T. ſoli gratulamur omnes: cuius eximiam pietatem Deus hac laude cumulatam voluit. Ad primam deductarum Thermarum famam, quæ per Conradum Emporicum, Quæſtorem Dauoſianum penes nos primum ſparſa erat, Muſa mea inalpina, iam propè exoleta, nonnihil incaluit, & bina Epigrammata, alterũ quidem latinũ, alterum vero Germanicum, vtcunque potuit, ægrè eructauit: Quæ etſi terſis auxibus Illuſtriſſimæ dig. T. ſunt indigna, facere tamen non potui, quin ea gratulatonis loco, huic Epiſtolæ adiungerem, nixus æquanimitate Illuſtriſſimæ Dig. T. quæ

ſolita

ſolita eſt , meas eſſe aliquid putare nugas. Seneſcenti, & morbo articulari loboranti aliquid condonandum. Quod reliquum eſt, oretenus expediam , vbi me iterum valentem Deus voluerit. Intereâ Illuſtriſſimæ Dign. T. me commendo , ſalutem aſcribens plurimam Anteceſſori eius laudatiſſimo, nec non Reuerendo Domino Decano , veſtri Ordinis ornamento ſingulari , totique venerando Collegio. Dictabam lectulo ob podagræ ac chyragræ dolores affixus. 17 die Maij 1630.

Ill.mæ ac Reue.mæ Dig. Tuæ
addicti.mus Cliens.

IOANNES GVLER à
Weineck Eques &
Colonellus.

Caput

Caput XIV.

PONTIS, ET AQVÆDVCTVS *Structura: Item Antri, per quod eundunt, hypotyposis.*

CIRCA Domini Hypapanten ad Ianuarij exodon 1630. nouus pons & à Aquæductus Thermarum Fabarij auſpicatò cæptus eſt. Sanè, vt Inſpectores dabunt libenter, miraculum grande. Pons ita validus eſt vt vehem fæni onuſtam facilè ferat. Trabibus nititur prægrandibus ex larice, ſternitur pineis aſſeribus, verius bifidis arboribus. Neutiquam, vt vetuſtus, ad ingreſſum contremiſcit. Ab origine Fontis canalis ipſe, ſimulque ponticulus, vſque ad nouæ domus aream, longus eſt ſesqui mille pedum ſeu continet in longitudine ducentas quatuordecim ſeptempedas. Altus & latus atque intrò capax eſt decem, polli-

ces, ipsâue virili ſpitamâ ſpatioſior. Vehit copioſam aquam cuiuis molæ mouendæ ſufficientem, an abundantem? Bene & vere. Calidior & ſpirituoſior ſola foras prouehitur per canalem; frigidiore craſſiore & minus ſpiritali humi relicta & funditùs deſidente. Pons orientalis montis lateri, continuo opere adhæret vſq; ferè dũ ſpelunca ad Aquilonem aliquantum ab ipsâ recente domo, ſeſe aperit. Illic trans fluuium ad occaſum tenditur. Extat ſuper Torrentem propè fontis Ortum viginti tres pedes etſi non vbique per Antri ſpatium æqualiter altè pendeat. Vbi verſus nouum ædificium trans ſuperque Torrentem iacet, à tranſcurrente fluuio triginta pedes eleuatur. Portitoriæ principales Trabes (ab lignarijs fabris iuga audiunt) vniuerſim feruntur centum, Ponticulum & Aquæductum ſuſtinentes in petram ſolidiſſimam ſubinde octodecim,

cim, nouemdecim, viginti, & viginti quatuor pollices profundè firmiter & arctè admodum infixæ.

Quomodo aliquis operis structuram non admiretur? quomodo non & Pontis appendendi firmandique modum? Mens obnubilat contemplanti. Supernè nemini patuit accessus. Infernè magnus & vorticosus erupit Torrens, à meridie & aquilone totoque antri tractu obsistens & reluctans. Ad vtrumque Torrentis latus præceps aliquot Turrium alta cautes stetit. Fluminis cursum aliò quoquam auertere non licuit. Ductorijs funibus aut catenis deorsum pendere impossibile. Scalis cæterisue instrumentis sursum niti perhorribile & arduum. Decurrentis item fluuij impetus sustentacula fabrorum secum prouoluebat. Quia locus ille arctissimus ibi locorum, vt hoc quoque difficultatem atque arduum operis valdè auxerit.

Difficultas & periculum in fabricando.

Vectabatur anno 1630. in ipſi Bacchanalium ferijs operarum Magiſter pro adducendo ponte ſecundum Torrentem cum latomo ſupra Rate quadam. Sed, en, infra B. Magdalenæ ſpeluncam, impactum id genus nauigij diruptum eſt & Opifices euertit qui facie tenus aliquoties ſubmerſi difficulter emerſerunt. Propè eum profundiorem vorticem duriora ſuſtinuêre fabri, machinę nimirum ſtatoriæ crebrius Torrentis impulſu auertebantur. Auditu lepidum. Ictus pulſuſque lignariorum & lapicidarum ingentes ſonitus, fragores, voces & Echonem multipliciter repercuſſam ediderunt, tum & ipſe Torrens horrēdum adſtrepuit adeò, vt Operæ nec vociferando quidem colloqui vnquam poſſent, ſed nutibus, pileorum iactatu & acutius fiſtulando, ſenſa ſibi mutuò adſignificarint.

Quinque menſium interuallo Pons & Aquæductus impigro & pertinaci

naci Opificum ſtudio confecti fue-
unt, & per anguſtias Antri & petra-
um ſoliditatem Pontem mortalium
upore abduxêre. Coëant artifices
oſtri & Architectones, laborabunt,
rurſum omnia ſuſtollas, in re non
cam conficienda ſed exputanda.
tſi periculoſa admodum fuerit
ontis affixio & Aquæductus ſtru-
ura, fortunatiori tamen ſucceſſu,
uam ſuſpicabamur, vniuerſa eue-
erunt. Vnicus ex lignarijs fabris
glaciali maſſa (ver enim tum in-
pucrat) è monte præcipitata de-
urbatus eſt illic ex medio pontis,
bi trans torrentem extra Antri in-
reſſum expanditur, & in ipſum Tor-
entem per triginta pedes præceps
ctus, in ligno ibidem forſam iacen-
, ſupra talum, ſiniſtrum diffregit
edem: Sed illico ab architectone,
ui præpete deſcenſſu in aquam ſe
emiſit è flumine deportatus, & chi-
urgo commendatus fuit, breuique

post tempore, penitus conualuit. Strictissimi & superadmirabilis huius Antri faciem quis depingat? Si mihi tot calami, tot linguæ.

Ex Homero I. Lipsius.

Quot folia aut flores in adulto vere virescunt.
Et quot muscarum densarum examina bombant.

Mirabilis forma Fabariensis Antri.

Non exprimam. Superat huius Barathri species, veteris cauernæ vbi proximis sæculis lotum est imaginem quam plurimùm. Sex minimùm locis in summo aut medio ipsæ petræ toto illo Aquæductûs tractu vsque ad ostium Antri, Aquilonem versus coëunt admirabilitèr, vt claudant alicubi cauernam, & semel maximè transitum præbeant securissimum in supremitate, vbi non modo vir eques, sed & carpentum ferro onustum commodè transmitti possit, ea potissimum saxorum amplissima congeries semper transitu facilis fuit, quam ab clausura

Accolæ

Accolæ (den Beschluß) appellant. Ab Torrentis fluxu ad eam vſque clauſuram altitudo pluſquam ducẽtorum nonaginta trium pedum eſſe à peritis perhibetur. Penſilia conſpiciuntur in ſummo alicubi cis medium terribilia ſaxa, molarium molem octuplo & decuplo exſuperantia; Quæ quodammodo omni momento iamiam caſura & nunquam cadentia interim formidant transeuntes. Ex cauatiſſimum ſpecus eſt. Medium montium pertranſibunt aquæ.

Torrens nunquam torrefactus, vtique iſtam admirandam, ſuo voraci curſu per tot ſęcula excauauit ſpeluncam. Oppoſiti montium parietes, quinque aut ſex circiter diſtant ſeptempedas circa ponticulum, modò autem plus, minuſuè. Tranſeuntes quandoque ſpiſſium fumum ex Thermis halantem & ventorum ab meridie & ſeptentrione ſpiran-

tium impetu contentum, ſtantemque repererunt, & velut in palpabilibus tenebris obpalparunt. Sol & luna nunquam Cauernam illic perluſtrauerunt: ità vndiq; concluſum eſt Antrum.

Seneca. Quod Seneca noſter de Crypta Neapolitana: quæ, perfoſſo monte Pauſilypo, paſſuum circiter mille rectà Neapolim ducit; Hoc de Fabarienſi antro ferè rectius ego. Nihil illo carcere longius, nihil illis faucibus obſcurius, quæ nobis præſtant, non vt per tenebras videamus ſed vt alicubi ipſas. Cæterum, etſi locus lucem habeat, nebula tamen, vapor & fumus crebrò auferunt.

Et vt de vetere & nouo ſpelco Fabarienſi ſimul commiſceam. Aliquid ſemper mihi illa obſcuritas, abyſſus horror, præſertim cum media aut exeunte hyeme Paræciam in Valens curaturus tranſmiſi, dentatis in vtroque pede munitus fer-

reis vncinis, à comite robuſtiori ad manum tractus auerſo à Barathri foſſa vultu niuium aliarumque rerum, deſuper minitante labinâ, quod cogitaram dedit. Senſi quendam toties ictum animi, & ad Deum anaſtrophen. Inſolita rei nouitas, & horripilatio fecerat. Ferietur cuiuſcunque primò introeuntis animus, mutabitur color, incidet religio. Senſi ego, locorum adſuetus, ſemper animi impetum Cæleſtem, mortalitatis meæ & fragilitatum cũ amaritudine animæ memoriam, contremuêre renes, oſſa, genua, cor iecurque, vt pullus hirundinis in cælum ſucclamabam. Quis enim vultum non abducat, ſi vaſtam altitudinem in crepidine Antri conſtitutus deſpexerit aut ſuſpexerit? pericula, minas & ruinas mortiferas? Hic Atheus Deum eſſe exclamabit, contemptor Numinis, Inferni, Mortis & DEI reminiſcetur, parcus & infre-

quẽs ſuperũ cultor, ſurſum ingemiſcet ad Cælites, inuitis adeo omnibus religionem incutit hoc ſpecus, & extremorum reddit memores. Rurſus ad primum conſpectum redditæ lucis, tranſito faucium hiatu, alacritas incogitata redijt & iubilus ad Deum. Illud deinde mecum. Omnes reſeruamur ad mortem. Quid intereſt, vtrum ſupra me mortalis tegula ruat, an mons, an turris, an niuium agger? Beati qui in Domino ſeu lentè ſeu ſubitò vbicunq; moriuntur.

Apocal. 14.

An laudari, an vituperari hoc Antrum mereatur, dubitabunt multi, complures vtrumque æſtimabunt. Nihil admirabilius natura vnquam fuit molita: etenim in quẽcumque Antri angulum oculos defigas, Miraculorum denſitate perſtringeris: ſi aliter, aut grandius refero, docebunt vicini & Inſpectores.

Baro quidam hac æſtate ad relaxandum

laxandum animum cum 18. perſonis nouum pontem & antrum omne à ſeptētrione meridiem verſus, perambulauit, Tubicine præcinente, alijs cytharas, alijs chelin tangentibus, & pluribus ſubinde grandi clamore & iubilo applaudentibus. Diffidas, quantum Antri fauces reboarint! ſanè interius lauantes præ timore & admiratione attoniti, è Thermis exſcenderant fugituri.

Antrum! Antrum! cui te componam! Inuitos hominum oculos trahis & velut faſcinas, cöis & dëis immenſum. Neſcio an ſimilè aliquid ſol viderit vſpiam? Seuerè aſſeuerant ſuperiori æſtate Religioſi viri ex Nazareth & Betlheem Gvvardiani ad Ferdinandum Imp. pro Terra SanctaLegati, Fabariæ ſubſiſtentes ſe Palæſtinam, Ægyptum, Græciam, Aſiam & Europam luſtraſſe, nihil verò ſimile vidiſſe quales ſunt Fabariæ Thermæ. Miraculoſiores eſſe Pyramidi-

Pyramidib⁹ Ægypti & verè eſſe pluſquam Miraculum Mundi. Idipſum etiam multi alij Magni viri conteſtati ſunt.

Viſitur in hoc ſtrictiſſimo Antri tractu in occidentali montis latere, ſemi ſeptempeda ſupra Torrentis alueum admiranda & ſupra modum ſpectabilis crypta, figura oui abſoluta, Tamminæ affluxu in longum 35. latum & profundum 28. altum 24. pedes, tam affabrè, vt nullius latomi artificio, melius queat, elaborata. Eius initium (coniectante Guarinonio) ante 800 circiter annos cæpit; ante centum & quinquaginta forſan finijt. Ea natiua Cauerna per Illuſtriſſimum modernum Fabariæ Præſulem Anno Chriſti trigeſimo ſupra M.DC.m ad 26. Iunij Deo Opt: Max: pro deuoto Eremitorio, vt vulgo appellant, in hac vaſtiſſima ſolitudine delecta fuit, & B. Peccatricis M. Magdalenæ agnominata, quæue deinceps

ceps ad communem & dubio procul grandem populi confluentis deuotionem emundabitur. In hac ſpelunca artificioſiſſima nihil propè deſideres, niſi pauimenti complanationem & ſacri Altaris ſtatumen, itemque ſupra Taminnam ponticulum, cui rei percommoda commoditas. Inſeruit ſpecori, ita prouidè prouidit Deus, luminis ex ſublimi per anguſtias rupiũ anguſtiſſimas ſufficiens immiſſio? Nam è ſuperficie montis plurifariam feneſtris quaſi à natura inciſis per maximam altitudinem demittitur. Potens & Sapiens Deus, qui molli aqua duram hanc rupem ad maiorem ſui gloriam, ita in capaci iſto cauo fabrefecit & Moderno ſeruauit Abbati primitùs patefaciendam, vberem dilargiatur opem, vt illic religio, ſui cultus & honor ad temporalis & æternæ felicitatis emolumentum effloreſcant.

Caput XV.

FONTIS TRANSLATI PRImus Effluxus & experimentum atq; efficacia.

COnſtituto ad eum modum Ponte & Aquæductu in peruigilio Pentecoſtes, quod in vndeuigeſimum Maij inciderat, ſub noctis conticinio Architectus Fontem calidum in recentem Canalem, neſcijs alijs, immiſerat, & citiſſimè iuxtà & fæliciter foras cauernam ad præſcriptum gurguſtiolum effluxit & quidem calidus, & eò ad noui ædificij locum cucurrit & præcucurrit citius ipſo Opifice & ſocio curſim ſubſequentibus & calorem Aquæ ex plorantibus. Repeto. Calida Aqua foras deducta eſt, etſi ſeptemdecim Canales tum nondum contecti fuerint, & nix tibiarum tenus alta ſub gallicinio poſtmodum propè miraculosè caderet.

caderet. Euax! Euax! Cælestis Paracletus Fabariæ suæ fauit. Flauit Spiritus Sanctus & fluxerunt Aquæ ad decretum limitem. Modò aliquis verè dixerit; ob multiplicia sæpius iam perbellorum, inimicorumuè hominum iniurias, tolerata damna, admodum depressam & afflictam Fabariam, ipsumuè Thermarum Fontem breui cæteroque periturum forsan & sempiterno claudendum sepulchro, restitutum esse & fore. Et quod liberali munificentia iam dedit Numen, vt ingenti spe fruiscimur, potenter conseruabit. Quod tacitum beneuolorum vbique votum est. Psal. 147.

Attulit eo die Spiritus S. Magnum Fabariæ suæ, Rhætiæ, Heluetiæ & ferè omni viciniæ inexplicabile gaudium. Incredibile multis visum est, audito primitùs Nuntio. Est hoc noui balnei donum inæstimabile: amabantur ac laudabantur anteà

Fabarienses

Fabarienses Thermæ supra cæteras ferè omnes, quia & supra cæteras sunt medicabiles omni propè inclyta Natione Germanorum: at formidolosa loci facies, horror, & periculum plures, quam in vulgus notum, absterruit ab accessu; adeò vt cogerentur deplorare secum tantum sibi Thesaurum ab humano metu inuideri. Omnia hæc sublata, horror, pericula, trepidatio, alia. Stabit, stabit Abbatis Fabariensis ære perennius optimi studij ad commune bonum promouendum, monimentum, hic Aquæductus, certo omine ac præsagio seram posteritatem honorificè tanti memorem beneficij gratamq; fore Fabariensi Cænobio. O ter felicem Antistitem! Tibi Creatura omnis obstricta est. Ex omnibus mortalibus solus placuisti electusq; es, quo Authore tam salubres Thermæ, ita fortunato euentu deriuarentur.

Con-

Congratulabantur Fabariæ Antistiti ob tantæ rei insperatum & faustiorem euentum Cognati & vicini. Ex quorum Choro celebrior ita vernante applausit penna:

In Thermas Fabarianas longè latèque celeberrimas ab Reu.mo Domino Domino IODOCO eius Monasterij Abbate, Principe, locique Domino, ex specu profundissimâ, angustissimâ & periculosissimâ, vbi per aliquot sæcula cum horrore petebantur, in spatium apricum & amœnum arte solertissimâ non sine maximis impensis feliciter productas, & ad omnium medicati Fontis beneficio opus habētium vsum longè iucundissimum saluberrimumq; accommodatas Anno 1630.

Nympharum lymphas medicandis artubus aptas,
Faucibus horrendis clausit Apollo diu:
Donec Fabrinæ dexter moderator habenæ,
(Infula, quem lauro nobilitata tegit)

A Phœbo obtinuit claras in luminis auras
Effluere optatas, vt pateretur, aquas.
O Sacer Antiſtes, Mundi flos, fonte ſalubri
Per te, iam fruimur, liberiore loco;
Unde tuum nomen grati celebramus, & vſque
Laudabunt artes poſtera ſecla tuas.

IOANNES GVLER à Weinek auratæ militiæ Eques ſeptuagenario maior Rhætus exultabundus cecinit hoc Cygnæum 26. Maij Anno 1630.

Parentis exmplo prouocatus filius Andreas Guler elegantem germanicam poeſim in eaſdem Thermas aliò deriuatas luſit.

Aggratulatus eſt & hoc Dei donum, Reu.mo Domino Abbati & Conuentui F. Beda Finck Monaſterij Profeſſus tali Epigrammate.

FAuſta Fabarinos, cum Principe nuntia Patres,
Iam tandem, ac pariter gaudia mille beant,
Felices nimium! quorum noua balnea ſurgunt,
Balnea Phœbeis nobilitata bonis

Aurea

Aurea nunc redeunt felici secla recursu,
Dilapsisq; fluunt, tempora læta malis.
Sunt hæc digna tuis Princeps Virtutibus, & sunt
Moribus hæc vestris præmia digna Patres.
Sic fortunatur cuius Deus anchora; nunquam
Desinet esse Dei, qui velit esse Dei.

Fabarij Antistes & Cænobij Patres tanti quoque muneris à Deo concessi beneficij haud inaduertentes aut ingrati certam septimanæ diem post SS. Trinitatis, in diuinis laudibus festiuam duxêre. Abbas pro Concione ad populum Numini gratias retulit. Tum concentum Musicè, complosum bellicè, compulsatum Fabarij solemniter pro inopino Dei Opt: Max: tanto, tali beneficio.

Pietas Fabariensium.

Exactis Pentecostes solemnibus suoptè arbitrio experiundi causa translatis insedit Thermis lauitque Ioannes Nick senior villanus in Valens idque vt ex eius ore referam, saluberrimè. Initia lotionis statim toto corpore ad instar purpurei panni

rubere, excoriari, & efficaciſſimam ſentire balnearum vim. Quam intro ad Fontis caput balneans licet crebrius nunquam perſenſit. Innatauit noctu diúque. Balneationem omnem intra octiduum iuſtè abſoluit. Et quod mireris, iteratam interim ſuſtinuit Epidermiam: Lauit in gurguſtiolo prope profundam ſpecum ad Occidentale montis latus erecto, in quo adeò commodum, extitit natabulum, vt balneò inſidens & propè ſibi circa coquere, & lectum ſternere valuerit. Illius pariter & Zelleri Opificis vxor, quæ vnà balneauerunt, itidem lotionem intra nouem compleuerunt dies, ad percelebrem recens tranſlati Fontis opinionem & Famam.

Experimentum efficaciæ in nouo balneo.

Fabariam appulit ſub Auguſtum menſem Perilluſtris Dominus, Dominus Franciſcus Petrus Künig, dictus de Mohr, Liber Baro in Billens, Dominus in Henens & Villariadt, Sacra-

Franciſcus Petrus Künig baro.

Sacratiſſimæ Maieſtatis Cæſareæ Generalis Campi Mariſcalci Adiutor, Vicecolonellus, ac Commiſſarius Bellicus. Hic cum anteà, iuſſu Auguſtiſſimi & Inuictiſſimi Cæſaris noſtri Ferdinandi II. aliquot equitum peditumq́ue copias, in Belgium, Buſcum Ducis à Belgis tum temporis grauiter obſeſſum ſubleuaturus, duxiſſet; in Belgarum copias circa fines Weſtphaliæ incidit, cum ijs conflixit, ac duos ſclopeti globos non ſine magno doloris ſenſu accepit: quorum alter dorſi ſpinam petijt & pulmones haud procul à corde, nobiliſſima humani corporis parte, perrupit: alter brachium dextrum grauiter afflixit, ac comminutis oſſibus ità diffregit, vt à ſola cute ſuſtineretur. Hanc pilam poſteriorem cætera ſano, poſtquam chirurgi manus crudeli ſectione ad Acidulas Göppingenſes non tam exemit quam doloroſiſſimè euulſit,

continuis ipse excruciabatur: brachij ijsque subtilissimis doloribus, & minutatim collisa ossa intimè afflixerunt. Cui malo vt medicinam absolutam & stabilem efferret, Fabariam circa Diui Laurentij ferias progressus, nouis Thermis recens translatis extra speluncam, prosperrimè lauare cæpit. Subitariam illic coquinam & ligneam domũculam pro habitatione, extemporanea operâ ac militariter constituerant Opifices. Breui dierum lapsu, Thermales aquę brachium affectum, etiam Epidermia adductâ, ita disposuêre, vt Medicorum accedente opellâ, & chirurgi (quem secum habebat) studio, vniuersim fragmenta sedecim ossium & ossiculorum successiuè ac diuersis vicibus, nullo propè sensu exempta sint: quemadmodum præfatus Generosus Baro ipsusmet frequentibus literis ad Dominum Abbatem loci, testatum fecit, & complures oculati

testes

testes nouerunt. Finita balnearum curâ, Castrum suum Billense prope Friburgum in Heluetijs (patrium id ci solum) profectus, etiamnum comitantem Fabarini Fontis operationem toto corpore, & ipso præsertim brachij vulnere, saluberrimam expertus fuit, ita quidem, vt non multò pòst, dispositis equis, Viennam ad Aulam Gloriosissimi Cæsaris nostri, ire ac redire absque vllo incommodo potuerit: sicut ipse, aliquot epistolis Fabariam rursum datis, grata mente agnouit, & nouarum Thermarum virtutem deprædicauit, duobus iterum ossiculis postmodum ex brachio eductis. Vides, tangis, palpas, benigne Lector, translati Fontis calorem & efficaciam, euidenti experimento, in hoc illustri & Generoso Heröe comprobatos?

Multi multoties deinceps per eam æstatem curiositatis & experientiæ gratiâ ibidem in recente

balneo, aliquot per horas, etiam dies balnearunt, plerisque attestantibus maiorem illic, quam ad Fontis Principium existere calorem. Me teste sub Octobris exitum, quando cælum altissimam niuem deposuit, etiamnum abundantissime Fons perquam calidus foras effluxit, vt lotioni acceptissimus foret atque eo ipso Quidam aliquamdiu me præsente suauissime balneario. Thermas foris, quam intus ad finem Decembris notabili excessu calidiores fuisse Anno Christi trigesimo supra Millesimum Sexcentesimum, seriò asseuerant fide digni testes. Inferius porrò copiosius docebit noster Guarinonius ex proposito, quo fructu Thermæ foras sint delatæ.



Caput

Caput XVI.

LOCI QVO FONS AB DV-ctus est, Situs & Facies.

OPPORTVNA, ampla & percommoda est loci Area; quò Fontem transtulerunt. Et licet supra Torrentem solida ferè constet petra, hominum tamen Industriâ, quà occasum, quà Septentrionem respicit, dilatabilis est. Iacet illic à latere occidentali Torrentis, capax plurium ædificiorum haud ignobilium; & imminet superne ab occidente mons quaqua versum sine periculo excelsus viretis admodum peramænus, fagis, virgultis & arbustis frequens; descensus è viculo Valens quanquam multa conficiatur ambagine, equis tamen oneratis & boum iugis aut bijugis ad noui vsque balnei vestibulum præbet accessum quàm tutissimum. A meridie, ea-

dem Area paſſus quinquaginta forſan extra magnum ſpeluncæ oſtium ad Aquilonem ſita eſt, vnde balneantium ſæpe deliciæ, perfrigidus & ſaluber continuò proſpirat ventus. Septentrionem verſus longiuſculè patet ſpatium iuxtim Torrentem, vbi rurſum coit, arctus interdum. Intra balnei domum & fluuium aliquot paſſuum æquabilis interiacet planities quæ niſi ſtagnet Torrens, commodè præſtabit obambulationem. Ea enim ſubinde aquarum eluuie molliter deſabulari, & recente arena inſterni conſueuit.

Glacialis Torrens apud nouum ædificium latè at leniſſimè præterlabitur dulci profecto murmure & ſuaui ſuſurro, vt & oculis iucundum præbeat ſpectaculum & auribus pergratam concinat cantilenam. Vt adeò ſatius multo ſit eum præterfluere, quam penitus deeſſe: affert ſecum auream aurulam, aufert & ſecum

cum quidquid præsentium nares & oculos offendisse posset.

Ab ortu huius loci & Areæ trans Torrentem, recta è regione Noui balnei immensæ altitudinis petra (ad cuius sumitatem ægrè visio humana conscendit, sermoni sit venia) sexcentorum & vltra pedum longa assurgit distatque à lauacro octoginta circiter passus. Ex culmine saxei huius Montis, primum Area pro nouo Balneo inuestigata & selecta fuit. Minimè verò indè seu arborum, niuium, glaciei, saxorum seu alterius rei casum vel ruinam ædibus periculosam extimescunt Accolæ experimento edocti. Opifices enim lignarij ex summo capite eiusdem Petræ ducentas larices crassitie & longitudine spectabiles pro adducendo ponte versus nouæ domus Aream deturbarunt: Verum ne vna quidem iactu ad locum moderni ædificij peruenit. Et sanè siquis ab eodem

montis

montis vertice lapidem manu, maximo niſu, proijciat, nunquam ferè vltra Torrentem verſus ædificij locum lapis deſcendet. Saxeus quidem hic paries infernè ſuſpicientibus ad libellam in altum rectiſſimè porrectus exiſtimatur: Verum in ſeipſum centum forſitan pedes retrocedit & refugit, vt lignarij animaduerterunt. Qui & petræ reductus, decidentium quoque rerum ruinam moratur & ab ædium loco diuertit.

Propter eiuſdem Petræ obſtaculum nec pediti nec equiti Fabariâ abeunti ad Balneum patet ad orientem aditus, ſolummodò pedeſtri itinere per antiquum Pontem aut ſuper Clauſuram Antri deſcendere poterunt.

Non ambigo, quin ſicut in ipſô nouarum Thermarum ab Inferis redemptarum limine nouus fons cis Taminnam cupreo ferreoq; ſapore dota-

dotatus emersit, ita breui tempore complurima sint ad Thermarum amplitudinem & celebritatem exoritura communi Reipublicæ publico typo communicanda, ad quod negotium sese nonnemo nuper præclari nominis Vir sponte obtulerat. Istud meum vaticinium somnio aut fabellæ non absimile, vt subodoror appellitabūt, enimuero ars, tempus, industria veritatem nobis aut posteris nuntiabunt. Faxit Indiuisa Trias. Hoc ego consilij iniussus, vt tum aduolantes per æstatem hospites peritia & experientia singulari præstabiles, tum & aliundè rerum talium comprimis gnaros & securæ fidei per opportunitatem Reu.mus loci Abbas accersat, qui minerarum venas scrobes, succos & lapides illic locorum peruestigent, degustent, & excoquant & syncerè examinent. Quippe vt Plinio placet, vna Metalli inuenta venâ, non procul inde inueni-

ent

ent aliam, tam fæcunda ſunt ſacræ Telluris viſcera. Dubium ſanè nullum, quin periculo rei facto, memorabilis Monaſterio Fabarienſi, noſtro ad huc æuo, acceſſio futura ſit. Faxit rurſum benedicta & Sancta Trinitas atque indiuiſa Vnitas Faxit, Faxit.

Singulari Numinis prouiſu Operarij noſtri circa nouæ Domus Aream lapides ſabulum & calcis materiam futuræ extructioni ſufficientiſſimè repererunt. Ipſiſſimus enim Torrens Taminna, quaſi futuri operis præſciens, procul ſabuli & calcis copiam inexoratus ſponte attulerat. Terra verò ipſa ædificio ſolidam ſubſtrauit petram. Solum ligna ſumptuoſo & propè intolerabili labore ex alpibus & ſyluis eminùs aduehenda fuerant. Noui Balnei locus admodum illuſtris lucidus & apricus eſt, vt octo ſæpè horis à ſole per æſtatem illuminetur. Ab ortu duntaxat

celſi-

celsissima Petra antemeridianum auertit Solem: Pomeridie propè ad Occasum splendidè collustratur. Cum veteres Thermas quotidie vix vnâ horulâ sol aspexerit, & præ tenebris interdiu sine candelis vix in Balneo quis legere potuerit. Nec vllum patiebatur veteris loci malitia horologium, quod non vna alteraue nocte peruerteret, perferet hic locus per quam patienter ferrea & aurea. Experirre; proba; credes.

Caput XVII.

NOVÆ DOMVS PRO TRANSlatis Thermis Conditio.

TERTIO die fluctis Iunij Anno 1630. Reu.mus Fabarij Antistes, deducto feliciter Fonte, eoque probè calido, & synceritèr efficaci, comperto (cùm cæteroquin ab incendio Thermarum altera domus instau-

inſtauranda fuiſſet interùs) recens magnificum Nymphæum extra Antrum atque iunctim bipartitam hoſpitibus excipiendis Auguſtalem domum, cum Ioanne Zellero Architecto pactus eſt. Quia verò opus à Conuentione & primo ſuo exemplari parumper variabit : ædificiorum ſtructuram deſcribo ; vt partim factam partim in ſciographia deſignatam & ab Opifice demum conficiendam cognoui. Speramus ædificium fore Thermis adeo celebribus vtcumque, quod tamdiu in votis erat, commoditate, amplitudine & ſpendore conſentaneum : atque ruinoſis illis mapalibus ad Fontis Originem ſitis centies vltro & vltro præualiturum.

Principio Fabri lignarij & Cæmentarij copioſo conducti numero vniuerſim ſimul & ſemel ædificarunt quinquaginta quatuor : exceptis ligneæ materiæ vectoribus atque

viarum

viarum ſtructoribus. Cæptum ædificari Iulio Menſe, cuius decimo quinto Murij Abbas religioſis precationibus benedictum lapidem cũ conſecrata Agni Dei cerâ fundamento ſolemniter impoſuit.

Totum ædificium, id eſt, Nymphæum cum adiuncto hoſpitio ab Meridie in Septemtrionem centum ſeptuaginta pedes ad longum porrigitur; ſexaginta quatuor dilatatur, & octoginta pedes Torrentem verſus altè conſurgit aduſque tecti culmen. Adeò commodè fabrefaciunt Domum, vt duo caupones inſimul ſine impedimento alter alterius ſint inhabitaturi, & ſinguli ſuos hoſpites & peregrinos ſeorſim collecturi & tractaturi: Totidẽ vnuſquiſque quod alter, habitacula, cubilia, hypocauſta neque plura neque pauciora occupabit: ità enim tota domus idoneè conſtruetur, vt quælibet media, totius diuerſorij, pars pari

habitaculorum numero conſtituenda ſit.

Hoſpitium omne viginti conſtabit hypocauſtis, quorum quatuor laxiora viginti & duorum pedum longa & viginti ac duorum lata: Sedecim autem minora duodecim pedum longa & totidem lata ſunt, ſingula in altum attolluntur, vti & cameræ, nouem artificiales pedes cum dimidio. Cubilia mediocria & patētiora ſunt quinquaginta. Lectuli ſeptuaginta. In vniuerſa domo centum quinquaginta ſeptem feneſtræ orbiculari vitro illuſtres patebunt. Ianuæ erunt centū & quatuor; Cellæ vinariæ duæ opere arucato, octodecim pedes longę & latę. Culinæ itidē duæ fornicatæ, quarum quælibet viginti pedes longa, & quindecim. Duæ inſuper lanienę, octodecim pedes lōgę & duodecim latæ. Penua duo. Menſæ fabrefiūt quadraginta quatuor. Scānna ſaxaginta. Seræ duplices octodecim. Simplices quadraginta quinq;.

Nym-

Nymphæum siuæ balneum amplissimum sexcentorum ferè hominum capax, ad Australem dom⁹ partem duobus ligneis parietibus distinctum quatuor præbebit natatoria, quorum vnumquodque in duodecim labra seu capsas balneares subdiuiditur. Fenestrárum ibi sat est, ad fumos vaporésue euehendos.

Ad nutum ductile stillicidium in quolibet aptabitur natabulo ad Thermalem aquam affectis corporum partibus, exempli causa, occipiti, syncipiti, aut collo affundendam. Ita enim Medici quandoque adhibendam docent saluberrimè. Velut Papa Pius II. ad Petriolenses balneas viginti diebus calidas aquas per canalem ductas in vertice capitis accepit, Medicorum suasu, quùm nimis humidum eius cerebrũ videretur. Teste Bzouiò.

Stillicidij in Balneis vtilitas.

Annalium tom 17. Anno Christi 1460.

Fœminæ à viris disiunctum, non autem promiscuè, vt in veteribus

Balneis ferè neceſſum fuit, balneabunt. Sacellum domui contiguum ab Auſtro in ſpeciem turris, partim ligno, partim lapide, ſaxangulari formâ è fundo extruitur ipſis ędibus eminentius, decem pedibus interius capax. Ante ipſam Capellam per totum ædificium, ſpatioſum extenditur in Aquilonem ambulacrum in longitudine centum & latitudine decem pedum, in quo magnæ hominum frequentiæ ſacrificium Altaris & pios hortatus ſpectare & audire licebit.

Domus ad triginta pedes è fundamentis, ſolido muro, cæterùm muri & ligni mixtura intro foriſque conſtat. Decorè admodum coloribus exornabitur. Totum ædificium ſupra firmam ſolidamq; nititur petram. Tectum è pineis rubriſque ſcandalis in anguſtum ſurgit, duos referens conuèxim erectos pectines. Culmen ab Occidente in Orientem vergit

vergit ad ornatum maiorem domui conciliandum, ità enim in acceſſu & receſſu è Valenſenſi itinere proſpicientibus, ſpecioſior occurrit.

Ante domum verſus Valens conſiſtit admodum ſalutaris tepræfrigidus fons è Mõte canalibus adduct⁹.

In frontiſpicio ædium ad parietem deuotè adpicta viſitur, primum imago Domini noſtri Ieſu Chriſti in crucem ſuffixi, deinde verò etiam Deiparæ Beatiſſimæ Virginis Mariæ ab vlnis infantulum portantis effigies, cui Titulus & Epigraphe.

BEATISSIMA VIRGO MARIA, FABARIENSIS.

SALVS INFIRMORVM.

CONSOLATRIX AFFLICTORVM.

Neque tamen Catholicum hoc

elogium quiſquam niſi hæreticus, idololatriæ poſtulatum ibit, ſiquidem Deiparam nec ipſi DEO ſuperiorem nec ſupparem facio, ſicut nec Moyſes Patriarcham Ioſephum, quē Gen. 41. v. 45. ex ore Pharaonis Saluatorē mundi nominauit, nec ipſum Moyſen Lucas Euangeliſta Act. 7. v. 35. vbi eum principem & Redemtorem populi, nec Gentium Doctor, quando ad Galat. 3. v. 19. eundem Mediatorem ſcripſit. Ac de ſeipſo ad Rom. 11. v. 14. Saluos faciam aliquos ex ipſis. Ita nos Catholici longe inferiore gradu hoc genus nomina & honorum titulos Sanctorum reginæ Sanctiſque cœlitibus, quàm ipſorum Creatori, & vnico humani generis Saluatori & Redemptori noſtro Chriſto, prout à maioribus noſtris edocti ſumus, indere conſueuimus. Catechiſmo P. Petri Caniſij cap. 3. q. 8. patet.

Ipſa porrò domus capacem Au-
lam

lam ambulationi, pluuio præcipuè Cælo opportunam continebit acribus & egregijs ornatam Sanctorum dictis. Singulis item hypocaustis & habitaculis idonei sui assignãtur Tutelares Cælites. Quorum ope & apud Deum suffragio habitatores protegantur. Architectus fabricam omnem suo perficiet impendio quod hebdomadatim à Monasterio recipiet, Monasterium dũtaxat vecturas vniuersas suppeditat, quæ solæ non paucorum millium coronatorum pretium excedunt. Demum & Architecto aliquot millia coronatorum adnumeranda sunt iuxta pacta conuenta. Maio appetente Anno 1631. Nouum Nymphæum & hospitiũ quod Superi æternum fælicitent, deinceps frequentabunt celeberrimè. Veteri balneo in horribili illo suo latibulo diruto quod decimo die Ianuarij huius Anni 1631. ex ingentis saxi illapsu penitus euer-

ſum non ædificabitur deinceps niſi quantum Aquæ deriuatio exegerit.

His quin etiam iſta addam me non contineo. Videlicet quod die 11. Maij, huius currentis Anni 1631. in nouo noſtro Nymphæo ſimul lauerint Trecentis plures homines, quodúe quidam Sulzianæ Legionis miles, dictus Ioannes Hannavver miſerabili manuum ac brachiorum contractura laborans, poſt quatuordecim dierum balneationem DEI gratiâ, & Thermali aquâ mediante, ita reſtitutus ſit priſtinæ valetudini, vt totus vegetus ac robuſtus indidem exierit.

Quemadmodum & Igienſis aliquis Rhætus, nomine Petrus Ios adeo ſcabie deformis acceſſit, planè vt Thermarum famuli, leprâ infectum exiſtimârint, nonniſi quintiduo balneis inſedit, ac poſt diem quintum ita mundatus fuit, vt nouâ in cute nitens, ſanus omnino exceſſerit. Et

Mel-

Melchior Merz Pilſnenſis Boëmus cum in dextro coxendice totoque pede trimeſtri iam ſpacio in tantum ægrotaret vt claudus effectus nonniſi baculi ſuſtentatione, & quidem ægerrimè ambularet, poſteaquam dies duodecim nouo in balneo lauiſſet, abſque baculi vſu incedere potuit, reſtituendus vtiq; in integram ſanitatem, vbi lotionem, qua adhuc detinetur, abſoluerit.

Caput XVIII.

NOBILIS ET CLARISSIMI Med. Doct. Domini Hippolyti Guarinonij ab Hofberg & Folderturn, Glorioſiſſimi &c. Ferdinandi Secundi, Rom. Imperatoris, & Sereniſſ. Leopoldi Archiducis Auſtriæ &c. Medici, Cubicularij, Regiæq; Auſtriacæ, illuſtrium Virginum Congregationis Halæ ad Oenum Phyſici & Conſiliarij.

Diſcurſus, Documentum, & Opinio; Ex Teudiſcâ, in latinam operâ noſtrâ.

AN plurimùm inclyta, mite calida, salubris & medicabilissima Fabariensium Thermarum scatebra, ex stupendùm formidolosa, immani cacuminata, & vasto hiatu, terque terribili Rupium cauerna, vbi originaliter erumpit, & antiquitus haud sine animi & corporis periculo inuisebatur absq; vllo suiipsius, tam per accepti & temperati caloris, quàm ingentium & miraculosè efficacium virtutum, detrimento, in spem vero similis emolumenti, illic in eadem abominabili & tenebricosa faucium abysso concepta & hausta, eleuari, colligi & foras in liberū, peramœnum Cæli, luminis, aëris, Solis & Lunæ capacem locum deriuari, & ibidem seu æquali, vel minori, seu & maiori fructu commodouè frequentari, adhiberi & vsurpari queat aut debeat? Quiuerit, aut debuerit?

Ad Ill.mum Fabariæ Abbatem, Anno 1631. intra mensem Martiū.

Illu-

Illuſtriſſime Princeps, Beneficentiſſ.me Domine.

AD Ill.mæ Celſ.dis tuæ præſenti hora allatas, & debito honore à me perlectas, non immertiò multum obſtupui, conſpicans meas, ad ſe, irretardatè alioquin expeditas, nondum perueniſſe, etſi interea temporis rectè tandem traditas confidam. Ad quas iteratò meipſum retulerim. Et præcipuè toti huic vrbi perſpectam negotiorum, impedimentorumúe molem vnà coallego; ob quam pro parata ceteroquin mea voluntate & prompto animi deſiderio reſpondere nequibam. Equidem noctis beneficio commode interdum vſus, rem omnem faciliùs & citiùs abſoluiſſem, niſi & minuſculus, ac inæqualior illius ſcripturæ character, oculos in hoc ſenio meos, aliquantum obtenebrantes, præter mentem tenuiſſet diutius. Quod

porro

porrò tali Thermarum ſuarum elucubrationi, diciplinæ, inſtructioni hiſtoriȩ & memoriæ cauſâ, alias prȩcellenter recèns cōſcriptȩ, Ill.ma V.ra Pat.as vnà & meos diſcurſus circa celeberrimas & paſſim gloriâ inclytas eaſdem Piperinas Thermas iuxtim apponi, atque interſeri peroptauit, id me, ita mȩ Deus, omnino latuit, & quantum reminiſcor, niſi in epiſtola ante binas vltimas poſtremâ, à nemine vnquam prænoui.

Quamobrem conſtanter originali narrationi, quoad verſionem Germanicam inhȩſi. Neque quidem inficior etiam me, pacem præoro, gratioſiſſimum ſuum imperium hac vice ob dignas admodū conſiderationes demiſſius recuſaturum fuiſſe, quanquam innotuiſſet mens ſua. Præcellentes enim hæ Thermæ eius ingenij & tam inſolitarum exiſtunt conditionum, vt ſuper ſola earundem originali & ingenita virtute perueſti-

uestiganda præstantissimi veteres & hoderni Medici non duntaxat diuersas, se & inter se pugnacissimas reliquerint opiniones. Quod de Thermarum alijs auditum vix commemini. Atqui Antilogiæ eiusmodi repugnantes apud peritos (vt Ill.mæ V.ræ D.oni, nimirum ab Philosophia, cæterarumuè omnigenarum artium disciplina instructissimo Principi cõprimis liquet) insimul veræ aut falsæ, sed alterutra solum aut vera, aut falsa, esse quibunt. Hinc negotium tale absq; sufficiente, deliberata, matura profundiori & vndequaque efficaci expensione definire, res modo non patitur.

Ex me omnino existimârim Nobilissimis hisce Thermis haudquaquam gratis, ab fragrante, mordaci & conditissimo Pipere gloriosum inditum hoc agnomen; tum ob præstabiles eius operationes, aromatum virtutibus non absimiles, tum multo

magis

magis propter naturæ abditissimas opes, seu conditiones, & admirabilium qualitatum præstantiam. Quod doctis sanè & profundissimis Philosophorum instar acerrimi & suaueolentis piperis, neque enim vel hodie illud discernere nedum deglutire queunt, semper hactenus sapuit. Thermas è mineralibus, ære vel peculiari terrâ recens erumpentes, ex calore, odore, colore, duritie, mollitie, acrimonia, lenitudine vel lentitudine, alijsuè exteriorum sensuum organis, obiectis, qualitatibus dispicere, disputare, discrutari perquã doctis facillimum est. Enimuerò Thermas, absque omni eiusmodi nota & indice scaturientes, quæque cum interim virtute & efficacia præpollente sese manifestent quam manifestimè, sigillum verò abdant occultius; à priori dijudicare velle, nemo citra per magni erroris periculum, nostro efficiet arbitratu.

Difficillimæ indagationis Fabarienses Thermæ.

Admo-

Admodum iucunda, hilaris & Philoſophiæ codigna res eſt Fabarienſium Balnearum meditatio, quæ tum iuuẽculum Sopihſtam, à fundamentis Philoſophiæ ritè & benè inſtructum ſcrutatu ſui, magno opere condelectet, tum & ætate grandæuum, mihi non abſimilem, pluribus reddat, vt loquimur Teutones, annis iuniorem, ſeu velut Medæa Æſonem recoquat. Id vero ab meo inſtituto (ſiquidem nullus interim præſidat iunior, ſed enim potius Thermarum ſtupendas fauces, montiumque hiatus exhorreſcat) haudquaquam dimouerim ad temporum occaſionem interea maximè attentus. Earum ſanè Thermarum firmiſſimè impreſſa imago tenaciter nobis adhęret & imprimis Ill.mæ Suę Pat.is ſingularis beneficentia è ſenſibus & animo noſtro nunquam effluet.

Quoniam verò quantum reſciui, Ther-

Thermarum Virtutes recens nuper, copioſo auctu deſcriptas, in publicum euulgandi præcipua cauſarum eſt hæc: quod Ampl.ma V.ra Dñao in ipſo medio, ſeu ventre excauatarum rupium, Fabarienſem ſcatebram, argumentis commota grauiſſimis, à capite & origine ſua, ita calidam collectam tubis, & eleuatam, non abſque ingenti miraculo, duriſſimas inter cautes & ſaxeos parietes, pluriumquàm ducentarum Virilium ſeptempedarum tractu per longiſſimum Speluncæ receſſum, proximè, ſupraque rugientem riuum Tamin-nam, foras ad ſpectabilem noui balnei ſtructuram, pro maiori & vniuerſali Orbis commodo perduci, & deriuari, elapſo anno prudentiſſimè curârit. Opus ipſum intuentes, & aquarum proſperam eductionem ſpectantes animis cohorruêre. Inter illius autem tam memorandi operis æſtum, feruoremque haud leue

gliſce-

gliſcebat dubium, quod & hiſce meis inaudij auribus, è grauium Virorum ore, Num Thermarum Fons citra ſui defectum foras Antrum ad commodiora prouehatur, aut verius hoc ipſo vim deperdat ſuam? Ad quam inſignem controuerſiam, vt apertam & ſimplicem, quam rationis ductu condidici, opinionem meam paucis adiungerem, exoratus ſuper ſedere non debui, humiliter obteſtans, quâ in tanta anxia feſtinatione, ob quam Autographum vix relectum, ne dum vt par erat, puriùs tranſcriptum, errores commiſſos benigno affectu, pro ſui ingenij felicitate & altitudine, condonet, & ſcriptiunculam beneuolente manu, gratioſo & ſereno vultu prehendat: ſpe optimâ nitor modò intermiſſa, olim fore vberius compenſanda. Tibi demum Ill.me & R.me D.ne tuoque Conuentui velut fidum perpetuo clientem & perennem ſui cultorem meipſum ſubmiſſe permitto.

Cæterùm temporis penuria preſſus, ſuper ingenita vi & acceptabiliſſima huius Balnei tepela; & vnde demum illi ſuus originalis calor & efficax Virtus inexiſtat, vt planiùs diſputem, ſane mihi, hac vice, non concedo; omnes quippè meos penitiores reformido cogitatus, quorum gratiâ ab vniuerſorum opinionibus me penitus abſceſſurum & è documentis rationabilibus longè aliud, quam cæteri omnes, & faſſurum & profeſſurum eſſe neceſſariò, verè vereor & præuideo. Vtque notatu facilè, nemo antehac, vel ante nos ſeriò aut fundamentaliter, ſed curſim tantum & obiter hanc Scatebram ſub Examen & ad incudem traxerunt.

Quod ad Thermarum procul à petroſâ ſuâ ſcaturigine, extra formidoloſam & abominabilem Speluncam, ad amœniorem vſque & commodum, nec non periculis liberum

locum,

locum, nuperam deductionem attinet; Vtrum illuc absque suarum virium præiudicio prædictæ Thermæ tutò queant aut quiuerint abduci, mea simplicissima, ingenua & ex ratione naturali elicita opinio est præsens.

Primitùs velut in confesso apud omnes præstituo, scatebram illic in faucium ostio, quà hactenus proruperat, minimè exoriri, neque insolitam suam vim, aut calorem adipisci, verum procul intra montium intima viscera, & longinquius quam vllus retrò forsan mortalium vnquã autumauerit, huc tandem locorum dimanare. Tacito, quod vti è Physicorum loquuntur cathedrâ, nullus in instanti habitus, sed temporum interuallo, siue naturam, siue mores attendamus, vnquam producatur. Quare cum eiusmodi Thermarum Fons sit odoris saporisuè expers, & absq; vllo prors⁹ aut mineræ aut me-

Aristot. præd. Tex. 7. VI Princip. Tex. 7. 1. Mag. Moral. Tex. 7.

talli veſtigio profluat, hoc elementaliter, & prout Philoſophi clamant, ſimplicior atque inde porrò in ſua ſubſtantia præcellentior exiſtat neceſſum eſt.

Hinc eiuſdem Fontis, tum ſalutares Virtutes, tum ſenſibilem calorem, velut comitatrices qualitates non breui, & quodam puſillo, ſed prolixo & tardiori tempore tam videlicet ſyncero, puto, puro, humori imprimi, nec tantum imprimi, verum ſtabiliter, radicitus immergi, incorporari verbo dicam, inhabituari qualitates & inſeparabiliter immiſceri, euidenter conſequitur. Quemadmodũ vniuerſim potabiles æquæ ex ſuæ ſubtilitate & puritate ſubſtantiæ, quo propius elementorum propinquant ſimplicitati nobiliores; pretioſiores & ſalubriores meritò perhibentur. Siquidem deinde huius puræ ſinceræque Elementalis aquæ funditus immixtæ

5. Metaph. Tex. 3. 31. Problem. Tex. 30. Sect. 23. Tex. 19. 1. Sanitat. tuendæ Tex. 11.

conditiones, nonnisi intra longam & iustam admodum temporis moram, tam simplici præsertim fluenti & instabili aquarum corpori incorporari queunt, rursum necessariò ex ineuitabili, naturæ cursu consequitur Tempus, motum seu operationem consimili sibi semper correspondere mensuram. Etenim indubiè, quemadmodũ pediti plus temporis & moræ ad viginti milliariorũ, quam ad vnius alteriusuè tãtum iter æquali gressu conficiendum, opus est: ita inquam, consequitur talem Fontem longissimo districtu & forsitan ab incredibili distantia ad presentem promanare locum, quod itineris & meatus spatium ad fundamentales eiusmodi & radicales concipiendas virtutes adfatim sit sufficiens & commensuratum: Si namque vel ipsa vnica caliditas aquæ huius à nobis prudenter matureque attendatur & experientiam ipsam consula-

4. Physicor. Tex. 130. 98, 97.

ſulamus, quid videlicet quotidie cũ olla ſeu lebete aquis plena ad viuacisſimam flammam appoſita fiat? quamdiu igni collaborandum, donec ardor ſuus intimam aquæ permeet ſubſtantiam, quo vel illum tandem caloris gradũ huius Fabarienſis ſcatebræ genuinũ obtineat, & iuxta tecum perpende ſis, quãtum interea viæ, dum in coquina eiuſmodi incaleſcit lebetis aqua, velociſſim⁹ Fabarienſium Thermarum Fons profundiſſimarum rupium cauitates prorumpendo confecerit; addito inſuper rem quampiam continuò fluidam, motu, lapſuuè perenni inſtabilem ad imbuendas peregrinas qualitates, in comparatione rei ſtabilis & quietæ, tàm parum eſſe idoneam quàm ſit eadem aquis olla plena, igni appoſita ac ſæpe ſæpius iterata ſuſq; deque mota vel circumagitata, quæ diuturniori proinde mora ad contrahendum calorem indigere aſſolet.

Quis,

Quis, inquam, hæc prudenter ſecum arbitratus non facile æſtimabit, quàm longinquo & diſſito viarum itinere eadem ſcatebra adfluat? Si cui porrò & iſtud comprehenſu grauius, is Thermarum calore, per me licet, tantillum ſepoſito, comitantes earundẽ duntaxat ſaluberrimas virtutes mecum diſcutiat vtrum tam breuiculo tempore ab tam rapido curſu, præterfluente aquâ imbibi intimè in tanta copia & numero adſumi, implantari, inſeri ibidemque (vt Philoſophorum dilecta loquitur barbaries) habituari queant. Si enim quandoque ad viliuſculi alicuius medicaminis macerationem, cuius vim pauxillo aquæ introducere & imprimere volumus, modiciſſimum aquæ, quod ad ſcatebrã Thermarum, velut Riuulus ad ampliſſimum Rheni flumen ſe habet, ſæpe longiſſimam noctem, ſæpius in durioribus materijs quoad virtus benè & altè

altè inſederit, quamplurimos deſiderabit dies; Quantum & interualli & moræ, putas mi homo, præſens inſumet ſcatebra & effectu ipſo, quoadusque ſub tam celeri ſuo decurſu non planè ab molli quadam, ſed enim nimis nimium dura materie (quę nos quanquam modo ſubſileamus, neutiquam latet) elicitarum & in ſe immerſarum & per totam ſubſtantiam intimè combibitarum cōpos fiat & particeps virtutum?

Itemque iterum Naturæ commonſtrat lumen taliuſmodi aquam aut prius, quam calorem concipiat, aut poſtmodum, vel tàm ante, quàm poſt conceptum calorem, ſuas ingenitas participare, ſeu nanciſci virtutes & efficacias. Quod ſi ante participet, tum Elemẽtalis ipſius ſcaturigo ſeu affluxus multò adhuc remotior ſit neceſſium erit, vtpote quum prius & tam procul ante ſalutarium & medicarum ſuarum virium conceptionem,

nem, dimanet, quam ad fornacem calidamue sui prorumpat officinam; Quinimo quo aqua caloris etiamum expers & idcirco virtutum & virium concipiendarum minus idonea quanto frigidior, tanto remotius admeabit. Sicut & vniuersæ frigidæ infusiones, vt Medicorum vocat calam⁹, tardius pigriusuè, quam calidæ perficiuntur. At posito, huiusmodi Aquam prius calorem & deinceps primum Montium virtutes adipisci & imbibere (quod non facile præsumpseris siquidem talis fundamentalis calor haud procul à terrarum superficie extima cõceptus ob quam plurimas in vicino causas necessariò infringeretur & remitteret) tum continget equidem istud ita citius & expeditius, velut & cæteræ Medicorum Infusiones seu macerationes medica inum in calida facilius & maturius, quam in frigida finiuntur.

Quidquid sit, vi omnis rationis apparet, pro fundamentali præscientia & præcognitione eius, quod rescire hauemus, & nondum dignouimus, Scatebram Fabariensem suas consecutrices, inhabituatas (parce Lector Medicorum verbis) & in totam suam substantiam penitissimè imbibitas & incorporatas Virtutes, efficacias & operationes; Item sigillatim acceptabilem suam tepelâm haud aliter & imo haudquaquã aliter, quam valde diuturno tempore & mora è tam duro obiecto, tam solidorum montium sibimet infugere, & propriè in suam alioquin simplicẽ & Elementalem naturam implantare & inseparabiliter adpropriare & vnire posse: Dumque idipsũ nonnisi admodum prolixa mora fieri contingit palpabiliter deducitur, quod Agens & Patiens, Fons & Mons valdè longo inuicem simulque commanere debant tempore. Quod si am-

amborum, Rupium videlicet & aquarum combinatio & vnio, quam Physici immediatum contactum agnominant, neutiquam velut Medicæ Infusiones in quieta & stabili materia, sed in celeri præterfluenti accidit, tum rursum ex eo clarè & ad oculum & ad manum patet: Talem Scatebram longè longius & nimium longinquè ab scaturigine sua adfluere: Et meo quidem iudicio trium aut quatuor dierum & noctium itinere allabi & perlabi, velut ex sequẽtibus manifestius comprobabo.

1. Gen. & corrupt. Tex. 78.

Quam remote adfluant Fabarienses Thermæ.

Et quanquam hic subtilius forsan aliquod ingenium occurrat: hãce Aquam ad montanarum conceptionem qualitatum fortassis in vicina quadam & admodum immensa Rupium Lacuna, forte vbi locorum caloris sui officinam seu receptaculum habet, copiose & aceruatim influere, illicque aliquamdiu tam ad virtutem quàm calorem concipiendum

Num DEVS Fabarij congregat sicut in vtre aquas Thermarum: Et ponit in thesauris abyssos Psalm. 37. v. 7.

dum demorari poſſe. Atqui iſtud nequaquam accidit, illo argumẽto, quod hæ Thermæ ſub Autumnum & Hyemem ſiſtantur & deficiant, quo caſu taliuſmodi ampliſſima aquarum colluuies ſeu prægrande Caldarium in viſceribus, & petrarum ſinu nihilominus propter neceſſariam ſui tum cauitatem, tum capacitatem exhauriri, & euacuari nequibit; verum quidpiam interius in lacuna (ſubter transfluentem aquarum Thermalium decurſum) per totam detinebitur hyemem, quo tanto temporis fluxu, & cæteræ præterlabentis Aquæ raptui inæquali montium Virtus quamplurimum acerrimè ac intimiſſimè attrahetur, vnde neceſſariò alteri Aquæ per æſtatem iam adultam prorumpenti in omnibus multum antecellet & diſſimilitudinem cauſabit notabilem. Quandoquidem autem id hactenus nunquam animaduerſum vel experiẽtiâ

cogni-

cognitum, aut in eiusdem temperatissimis exploratum est qualitatibus, haud quaquam istud præsumendum erit; Ne dicam quod tamdiu quiescens & stabilis Aqua, vt cæteræ vniuersim assolent, sese immutaret & infallibilem quandam magni discriminis notam proderet.

Quod si quis insuper sciscitetur, ergo igitur quam longinquo & quonam locorum Fons Fabariensis, natiuum suum imbuit calorem? Huic superiùs Naturali documento responsum est: Talem videlicet calorem in tam multam magnamúe aquam æquè difficulter atque ipsasmet medicatas vires, idque nonnisi sufficiente & diuturniori mora vnquam introduci; Quin & eò tardius, quò velocior & mobilior Aqua in fluxu suo proccurrit. Res ab exemplo elucebit. Fistulam ferream animo confinge, interius admodum duplicis bombardę capacem, decem

septem-

ſeptempedas oblongam, foris vtrinque copioſo igne & carbonibus circundatam, ipſum verò fiſtulæ tubum digitali craſſitudine admodũ adeoq; præcalidum, vt manum citra offenſam & vſtelã inferre nequeas. Imodò & glacie frigidiorẽ tanta copia, quãtam fiſtulę interior cauitas admittit, quantocyus ſupra intromitte & infra rurſum effluere ſinito, tum perſcrutare, Num eiuſdem tam copioſæ & velociſſimè transmiſſæ Aquę calor intra tantillum moræ conceptus Calori Scatebræ noſtræ reſpondeat aſſimileturque? Enimuerò ne abs me præoccuperis, vna excutiendi & perueſtigandi liberalem tibi cedo moram. Sin mauis, & in tua illa obſtinaueris opinione vltro etiam eandem concedo, idemuè vtriusque noſtrum ſenſus erit. Dummodo in id conſenti mecumque comitare per Fiſtulam ſeu meatum altiſſimarum Rupium (quantumque caloris offi-

cina

cina retrò disiaceat, quæ necessariò toto differet Cælo naturali sua conditione ab ipsis, queis prorumpit, Rupibus) seu eminus seu cominus distet locus, ex vtrouis alterutrum rursus necessariò conficitur, si enim breuiusculè, solum, inquam, decem septempedas vt ante commemini, aberit, tum aqua non minus quam candens ferrum, vnde tam larga velocissimo raptu profluit, non solum cum eo calore, quo scaturit, sed multo & maiori & intolerabiliori præferuido & vrente quodam æstu foras prorumpet; & deinde demum tanto itinere reliquarum Rupium reactione & gelido earundem affrictu & attritu ad eum nobis tolerabilem defrigescet & subtepefiet calorem. Aut necessum est totum fermè Rupium quam longissimum canalem seu meatum non modo tanto efferuere æstu, quo copiosa adèo Scatebra incalescat, sed vt continenter toto sui

4. Gen. An. Tex. 3.

tractu

tractu æquabilem conſeruet feruorem. Quod præ argumentorum nimietate vero abſimile aliarumque Thermarum ingenio diſſonum eſt.

Fabarienſis ſcatebræ feruor, ad primariam ſui originem intolerabilis.

Stat igitur & ratio docet hanc Fabarienſem Scatebram procul nimium retrò ab effluxu non ſolum conſecutricem hanc ſuam tepelam, verum ſupereminẽter feruidam, extremam intolerabilem & vrentem nimium concipere calorem, Dehinc tandem longiori itinere per gelidiſſimos Montes aduſque hodiernam ſcaturiginem, moderatam gratamque hanc ſuam adipiſci caliditatem. Rem ità ſeſe habere tum Germaniæ, tum aliarum Nationum feruidi Fontes condocent, ij quippe eo feruentiores ſeu calidiores erumpunt, quo propius, aut remotius Caldarium ſeu Officina Caloris ab ipſa diſiacet ſcaturigine.

Haud ſecus ferme, quam in poli-

ticis occupauit, cum male moratus agrestis, barbarus, excors, ferusque iuuenis domi suæ, ab sui similibus initio parentibus à crepundijs vsque educatus est, nunquam fatuitatem dediscit inolitam, tametsi vnum alterumue milliare paternis excedat laribus, sed tum primum cum plurium dierum viam, natali solo & agresti barbaraque domo in alienam transmigrarit terram, in itinere ac procinctu plurima (veluti & hæc Thermarum Scatebra ab gelidis, & acerrimis sustinet Rupibus) persentiscat quæque obuiam mala aliosque mores & exempla experiatur, aliam honestiorem comperiat disciplinam, qua cum diutius conflictetur & adsuescat. Tum tandem, inquam, prægrandis hæc hyemalis Noctua in generosum accipitrem & fatuus stipes & plumbeus stolo, ita etiam Thermarum Fabariensium Fons, in Nobilem, tractabilem, poli-

ticum, frugi, amabilemque euadet virum.

Conficitur rursum, Fabariensem scatebram si vnico duntaxat retrorsum die & hoc ipso propinquior à Caldario fluat, Certo certius item nunquam adeo tolerabilem & acceptam sed multò admodum ferventiorem fore, quàm Thermæ S. Martini propè Bormium ad montis Brachij initium in Rhetijs, reperiantur & vsurpentur. Sin è contra sua ab scaturigine altero adhuc die retro Speluncam Thermalem promanet, perque gelidos montium sinus longinquius allabatur necessario quiuis ambigere possit aut velit, eandem Scatebram tum à contrario nullatenus in eo caloris gradu, verum multum remissiori & frigidiori effluxuram? Clarum euidens & manifestum huius rei indicium deprehendes in persimili lympida pulcherrima & ex æquali copia liberalitèr pro-

Thermæ S. Martini in Comitatu Bormiensi apud Rhætos.

promanante Scatebra apud celebres & vastissimos, intra Tyrolim, Pyræ-nei saltus Brennerum montem appellant accolæ.

Caionæ siue Caminæ scatebra Thermalis vastissimi Montis dicti Brenner in Tyroli.

Cui niue tincta coma est, glacie riget aspera barba, quà regia via ex Italia in Germaniam mittit, quaque prisci Romanorum, vt etiamnum illic extantia monent monumenta, militares suas olim traiecerunt copias. Ea scatebra sexaginta circiter passus à publica via ad dexteram quando ex Italia mouemus, prope in medio Pyrenei (quo celebres balneas, quanquam infrequentiores Domini Geitzenkofler magnificè posuerunt) èdurissima rupe calida, atqui adeo subtepida profluit, vt humanis viribus absque vlteriori ad ignes calefactione, præterquam in æstate sit intoleranda. Non aliam ob rem, quam quod Scatebra nimium procul à Caldario & Fonte suo, idque diuturniori via perfrigidos Mõ-

Steph. Vinandus in Hercule prodicio.

tium anfractus adfluens vltra humanę complexioni debitum & congruum refrigeſcat modum. Vt illud prætereatur: Brumali tempore Scatebram grauiſſimos fumos eminus conſpicuos euaporare & longiſſimo itinere glacies & niues funditus præ calore collique facere.

Opus tandem, vt ad propoſitam nobis principalem Cauſam, præmiſſis, ſpe bonâ, fundamentalibus, vt aiunt, à priori & poſteriori rationibus, aliquando accedamus. Vtrum videlicet in Cauerna & horribili Montium ſpelunca ad Originem ſuam concepta & accuratè hauſta, perque ligneos Canales foras deducta Fabarienſis Scatebra vllum aut nocumentum, aut iacturam ſui tam perpetiatur in natiuis & medicatiſſimis Virtutibus, quam in calore ſuo infringi & debilitari queat? Ad quod modo quæſitum, ex præeuntibus quotuſquiſque prudens facile

ſibi

ſibi reſpondebit; præterea fundamentali hac & irretorquibili aſſertione inſtructus pace optima cordicitus aſſentiet; non modo Fabarienſem ſcatebram ſua extrorſum deriuatione & Aquæductu ex millies horribili barathro ad Ætheris & Aëris habillimum locum, de ſuis capitalibus vtriſque qualitatibus quà ſalubrium & medicatarum Virtutum, quà gratiſſimæ tepelæ ne minimum quidem remittere, ſed enim ipſammet Scatebram præter hæc, tali ſub effluxu & mora, ſemel quoad vtramuis qualitatem multùm corroborare, quin & neceſſariò emendari.

Hoc rudioribus (ſapientes ex ijs, quæ pauxillum antè prę famur à longe prę ſipiunt) cum Idiotarum, quam Doctorum grandior ſit numerus, ſimplicius aliquanto & diſſertius ędiſſerere conabimur.

Primo ambæ ipſius principales qualitates, vt demonſtatum iam A-

quæ formaliter & ſpecificè in intimam ſe immerſerunt ſubſtantiā, vnde abſque totius ſubiecti corruptione diſſeparari nequeunt. Exempli cauſa. Quemadmodum ex Aqua melle miſta tertium quod nec mel nec aquam ſed Hydromeli vocant, progenitum, nunquam ſine ipſius Hydromeli interitu & pernicie ſecerni poteſt, etſi illud non ducentas ſolum ſeptempedas ab Officina, vbi coquitur, verum vltra ducenta Germanica milliaria fortè ex maritimis Teutonum oppidis terrâ marique Venetias aut Romam exportemus, non modo, nequaquam deterius ſed & multo generoſius euadit plerumque.

Caſu, quo actutum redarguas; ſcatebram Fabarienſem in montium viſceribus ſuas tam virtutes medicas quam tepelam imbuere, ſin poſtmodum Rupibus proruperit iam deſtitutam & ſpoliatam fore, cauſa ſibi effica-

efficaciam causante. Tum suscipio ex te sciscitans; num Hydromeli & cereuisia in ligneis vasis peregrè aucta saporem virtutemque suam, an potius in cupreis lebetibus, vbi coquuntur & infunduntur, contrahant? Si hæc extra ollas genitales, dolijs conclusa ligneis immersas sibi vires & virtutes mordicus retinent: Eccur non tenacius hæreat prædura, inquam, & lapidea Thermarum vis, ex Rupium cauerna, ligneo canali collecta & perdiligenter communita, arctius inclusa & foras abducta? Aut quæ tibi mens? Annè duntaxat tum verus homuncio fueras, quando in maternis visceribus hominis & formam, & speciem indueras? Deinceps vero à partu, ex matris vtero putabisne teipsum minus hominem quam ante ortum extiteris? Tantum abest, quin & indies magis in eis, quæ ad hominis statum, decorem & incrementum valent, & præcipue

ſin aliàs ſyncera tibi ſapientia, quæ præter Deum eiuſue gloriam, vniuerſa vt reapſe ſunt, puram putam fatuitatem æſtimat, ſaltem innotuit, humana proficis & promoues ſapientiam. Simile quid non modo in artefactis, ſed æque porro in naturæ ſpectatur operibus. Inter quæ iſtud notiſſimum & deſideratiſſimum Vinum, quod vites è terra & puriſſimo Cæli rore, vt Tertium aliquod mixtum, progenerant, quod interim nec pluuialis humor neque terra exiſtit.

Ergonè auſint affirmare vinum maturrimum, dolijs incluſum & defæcatiſſimum, quando natiuas ſuas iam obtinuit virtutes, ſi quo caſu forſan elutrietur ac de vaſe in vas transfundatur, deperdere vires? optandum ſanè vt ita quandoque apud vini abominandos, dicamne bibones an gurgites? ingenitam vim deperderet, quantum & qualiter, eandem

dem ferè non modo conſeruat, ſed & magis magiſq́ue coauget & perficit. Imo vero de noſtris generoſioribus in Terioli vinis in omnes notum eſt, quod longius per Regionem transportata viribus & fortitudine augeſcant.

Adeſdum modo tuaſque ambas huc exporgito, ſi molliori cerebello forſan neſcies noſtra rimari, & palpato. Amabò Sodes, aj. Nunquid olim in florentiſſimis illis Fabariæ Thermis lauiſti vnquam? forſitan, Si dijs placet, tum intra montis abditiſſimam Cauernam vbi Thermalis Fons longe efficaciſſimus, ſcatet, penetraſti, atque ibidem, aut foris verius vna cum cæteris ſenſatis Viris in præampla & profunda Thermarum natatoria balneaſti? Introrſum neutiquam mihi penetraueris, ſed extrorſum neceſſariò colluiſti cum alijs. Atqui credidiſtin ampliſſimam illam exteriorem balnei piſci-

nam retinere ſuas in profundiſſimis Montibus congenitas virtutes? ?

I. ECTOR. Vtique mihi illud, & meritò & neceſſariò perſuaſi, cum beneficia & præcellentes balnei operationes non ego ſolus, verum vniuerſi mei mecum collotores euentu ipſo ſenſerint.

DOCTOR. Amabò te nunquid ex rupibus elapſa aquarum piſcina latè dilatatur? Itemque an non foris nudo & frigido ſub dio & æthere intecta circumnatat? Annon intro prægelida montium corpora, quo ſol rarius breuiori horæ morula allucet, cæteroqui ſummè frigidæ, & præhumidæ Rupes? Annon ingens & gelidus vapor ſeu nebula infra ex profunda prætercurrentis Taminnæ foſſa ſurſum commeat, ob quas coniunctim rationes præampla & latiſſima Thermarum piſcina alterari, infirmari & à ſua naturali virtute & gratijs dimoueri & ſpoliari neceſſa-

rio

riò deberet? Quod cum minimè eueniat, quî fiet illud, cum Aquæ neutiquam sub Dio patentes & apertæ, sed coopertæ & intectæ; nullatenus diuisæ & dilatatæ, verùm in suis angustijs intra ligneos Canales conclusæ & cohibitæ foras festinant rapidissimo cursu.

LECTOR. Hæc quidem palpabilis est demonstratio & per me nihil subambigo, solummodo alij quidã ligneos forsan Aquæductus in suspicionem ciebunt, si quidem ligna & lapides vehementi discernuntur discrimine.

Etenim prorumpens Thermarum Aqua in piscina super lapideo & petroso alioqui natitat pauimento.

DOCTOR. Mihi heri, cum obuius ires, quid amabo te in grandi tuo ligneo flascone? LECTOR. Aliud nihil quam meis ruri frugiferis aquam epotandam baiulans attuli.

tuli. DOCTOR. Vbinam Terrarum, quæſo mi homo hauſeras lympham? LECTOR. Oppido procul ſupra viculum Valens ex illa præfrigida de rupibus ſaliente ſcatebra.

DOCTOR. Nunc ageſis quid factum? Num meſſores tui ſitim inde expleuerũt, aut vim fortè ſuam amiſit aqua in ligneo flaſcone tanto itinere delata & dorſo impoſita? aut deſijt eſſe forſan humida?

LECTOR. Nequaquam vllam illi querelam, quam quod inſufficiens & parcior fuerit, habuêre, & quod in ligneo vaſe aliquantillum tepidiorem, quam ſi eandem apud ſcaturiginem bibiſſent, perceperint.

DOCTOR. Age enim Aqua in ligneis tepeſcit vaſculis & nonnihil ſubcaleſit; Eccur Fabarienſis Scatebra in ligneis infringatur & frigeſiat canalibus?

LECTOR. Hoc verè verum eſt. Porro nos è rudiori plebium globo num-

numquam tantum diſpicimus. Sed ex opulentis mercatoribus inaudiebamus, enimuero cum & æquè parũ ij nobiſcum ſapiunt, minus indignè in nobis cæteri ferent.

DOCTOR. Mi LECTOR ſingula diduc, & vlterius conſidera eiuſmodi Thermarũ Scatebram, non modo, vt manibus contrectas nullam virium ſuarum perpeti iacturam ſed & ſeipſâ meliorem effici. Quod enim ad ſæpe dictas ſalubres & montanas Thermarum attinet virtutes, indubium eſt, eas lignorum transcurſu & fluxu tantiſper quoad aſpredinem & alpeſtre ingenium mitigari & emolliri. Velut hic in noſtrate ſalis Fonte, quem iuſto Germanico milliari ex vaſtiſſimis montibus Halam deriuant, intueri licet, cuius Aqua inter defluxum canalium ſe maiori ex parte ſua adhærente liberat agreſtiori qualitate.

Ita quidem Fabarienſis Scatebra dein-

deinceps aliquanto mitior, tenerior & humano corpori acceptabilior, imo salubrior effecta felicius curabit, quod & experimentum in tempore condocefaciet. Quod ad calorem præter iam memoratam spectat demonstrationem, doctioribus aliud pro responso affertur argumentum eisque Thermarum Fontem ab Scaturigine sua adusque extra Rupium Cauernam in sua caliditate potius augeri, quam minui euidenter ex præstructo ostenditur fundamento. Quandoquidem & suus originalis Scatebræ calor haudquaquam illic locorum, vbi Balnei natatoria posilit, verum, vt probatum initio multo feruentior maiorue retro & longinquius coexistit; ob Rupium autem geliditatem quas tanto viarum interuallo perlabitur ad hanc demum acceptissimam caloris temperiem peruenit; quod si adhuc longiori itinere perfrigida
Ru-

Rupium, commeandum esset Fonti, magis magisue & vltra, defrigescerent. Ita prudentiores quique mecum iam subolfaciunt Thermali semel Aqua è frigidis illis Rupibus in ligneos hosce canales transfusâ, quamprimum & Reactionem seu montium frigefactionem hoc ipso desinere & vna tum allatum colorem à contrario suo frigore iam securum ac velut ab aduersario moxque in ligna transmissum, quæ suopte ingenio siccitati & calori aptius congruunt, sese tueri, fortificare & inseipsa intendi additione gradus ad gradum: Non secus ac quando sub hyemem vrente & obstinato gelu viatori quaquà longius prodeunti suus sibi natiuus calor, ob externum frigus, in manibus, pedibus, vultu & corpore adeo est debilitatus, vt eum velut minime amplius persentiat; is cum se forsan in subtepidum receperit hypocaustum, non tantum priori

infen-

insensissimo liberatur gelu, sed insit⁹ naturæ calor longe prodit in corpore validior sese intra se intēdit, acuit, atq; artus ante ab frigore delassatos plurimum calefacit. Tacito, quod omnis generis calida ligneis clausa vasculis diutius, quam in cæteris suum perseuerent calorem. Quod si allubescat, (ad vsum prouoco) experire & infundito binis vndequaque capacitate & amplitudine similibus vasis, alteri autem saxeo, alteri ligneo paris mensuræ Thermalem Fabariensem Aquam; eademque ambo, donec refrigerentur dimitte. Tum Horologioli Viatorij consule gnomonem, quantò tardius in ligneo, quam lapideo vase refrixerit Aqua. Quin & in vulgus æquè innotuit ad brumalem auram fortè succensum ignem parciùs ardere, multoque parciùs calefacere, quam eum quem in æstate aliquando suscitamus.

Stat

Stat igitur euidenter fixum, firmum, ratum & vndequaque vi naturæ & rationis ductu compertum; Thermarum Fabariensium scatebram ex Rupibus idque solum ducentis septempedis foras deriuatam non modo citra omnem suarum virium & caloris iacturam, sed & vtroque illo ex capite necessariò salubriorem, præstabiliorem, efficacioremuè & Esse & Manere.

Hæc hactenus, quantum ad prænobilem & saluberrimum Fontem, tanquam agens attinet, dicta sunto. Quod alteram dein concernit partem; videlicet passum seu humana corpora, num eadem pro huiusmodi Balneis extra Rupium Cauernam ad nobiles adeò Thermarum virtutes, participãdas habiliora & magis idonea existãt: siquidem plurimùm refert, vt passiua cum actiuis, ita scholæ clamant, perquã legitimè & optimè applicentur, id vero celebrem & per-

amænum ſimulque per neceſſarium poſtularet diſcurſum. Quem quidem, tum breuitas temporis, tum repentinæ accumulatæ occupationes, præter mentem à me prohibent, cæteroqui ſanè libentius, tam ingenioſo incubiturum negotio, idque in aliam occaſionem differre & ſolum ex Syllogiſmo, omiſſis modo præmiſſis concluſionem inferre compellor.

Videlicet: quemadmodum Agens huius balnei, id eſt, Scatebra magno ſui emolumento foras id locorum adducitur, ita Balneantes illic extrà longè potiori fructu eiuſdem Scatebræ, ſic emendatarum & auctarum Virtutum, perfruentur. Sin aliàs ſummè neceſſaria ibidem morum integritas, diſciplinæ rigor feruorque, Numinis obſeruantia, timor, & tremor inſimul ſeriò & ſeuerè inuiolabili immota & incõniua tractetur cura & vigilantia, ſine quibus

nullibi

nullibi nulla res, siue in Cælis, siuè multoque minus in terris diutius incolumis perstabit. Quare iure meritò disciplinæ studium veraci verbo, Balsamum vniuersarum rerum ob sui & pretium & bonitatem rectè agnominabis. Qualiter autem super hæc exterior abducti Fõtis locus nobili Nymphæo quoad suas qualitates sit responsurus, quomodo idem locus, situs, Area, aura, Lumen, Sol, Luna, Sydera & Cælum lauantes recreatura, animos & sensus pristina formidine & edaci cura liberos omnino, ad Balneum habiliores & aptiores effectura. Hoc, præstolare, vsus docebit.

Omnipotens, qui illustre præsens opus ab sui principio huic Reu.^mo & Illmo Principi reseruauit; quo homines velut ex horribili & tenebricoso Rupium carcere seu Inferno, è horario & momentaneo corporis discrimine erepti sunt (siqui-

dem iſtud inter alia maxime ſtupenda naturæ opera fere & ſane vnum eſt & merito viſitatu & viſu perinde digniſſimum, atque vllum in orbe terrarum aliud) concedat vberem gratiam, vt ij memorato modo, quaſi ex ſtupendo & abominabili Tartaro (vnde alioquin nulla in omne æuiternum redemptio) auſpicijs hodierni ſedentis Principis & Abbatis ad amænum, ſalubre, clarum & illuſtre cęlum tranſlati, tali in loco nunquam deinceps execrabili Inferno, ſed puriſſimis & ſereniſſimis Cælis conformiter, præclaris item pellucidis de Empyreo cœlo & Dei conſpectu, ob tam ſplendidum beneficium, dignis cogitatibus, effatis & effectis Chriſtiana, decente, decora, & amabili honeſtate Balnei vſum abſoluant: Et nequaquam dum mortalia, corruptibilia & lutea corporum ſuorum vaſa ob leuiuſculos ſubinde affectus, balneo colluunt, interea

immor-

immortales animas degenere, conuersatione, illicito cogitatu, dicto aut facto turpius longe, quã sit vllus deterrimorum Cacodæmonum forsan denigrent, & è numero piorum Christi fidelium exclusi in perditissimorum & reproborum Dœmonum castra transeant. Quibus nunquam benè aut volupe, nisi, sicut & huiusmodi malesana hominum fæx insueuit cum quippiam flagitiose in odium contemtumuè Domini Creatoris gesserint ergo igitur.

Vin tu mi lector scire,
Quis mage queat insanire?
Qui mentem intro maculat,
Et foris corpus balneat:
Post longam lotionem, vt Corui,
Et velut Æthiopes torui,
Manent hi stolidi stolones
Plus post, quam ante Moriones.
Vin contra nosse, Lector, tumet,
Cui Deus Balneum suum fortunet?
Qui studet morum Sanctimoniæ,
Et Numen Cæli portat pectore!

Ad maiorem Dei, Opt: Max: Augustissimæque Virginis, Sanctique Benedicti (ah! audiam, Venite Benedicti) gloriam. Amen.

Hæc piè, grauiter, neruosè, D. Guarinonius. Fides & fas auscultastis? Stoa & Lycæum iudicate. Ego foueo faueo. Tu Deus, cui viuam seruiam, Virum nobis serua, plura de hoc forte propediem Orbi lucubraturum. Vtinam bis vtinam? Breui.

His omnibus adiungemus eruditissimam atque vtilissimam Doctoris Belini Epistolam, quam de industriâ veluti vinum optimum vsque huc ipsi fini, vt totum opus splēdidè coronaret, non sine consilio merito reseruauimus; plerumq; enim rerum omnium finem qui in practicis alioqui principium est, studiosius & inquirimus & attendimus, eo videlicet fine, vt hæc ipsa Epistola sæpè sæpius à Balneantibus hominibus & Legatur,

tur, relegatur & probè obſeruetur, id quod magno cum Patientis commodo ſaluberrimè certo fiet.

Caput XIX.

CONSILIVM DE VSV THERmarum Fabarienſium.

Doctoris Zachariæ Belli à Bellfort, Nobilis Rhæti Viri Conſularis, Ad Fabarienſem Abbatem de Anno 1630. Ex linguâ Germanicâ in latinam opera noſtra Conuerſum.

Auctoris Licentiâ.

Reu.^{me} Princeps Col.^{me} D.^{ne}

VNICVIQVE Principum; ſeu ſæcularis, ſeu Eccleſiaſtici exiſtat ſtatus, publicæ vtilitatis cura incumbit quam, vt promoueant,

ſartam tectam tueantur omnibus ad nitendum viribus. Idque non modo in adminiſtranda iuſtitia, cōdendis legibus ac ſtatutis ſitum, verum vt & exoptatæ atque deſiderabili ſanitati, quæ tam breui temporum curriculo circumſcribitur, præcipuè conſulatur neceſſum eſt. Nam vbi incolumitas ea corporum exulabit illicò dolores ſempiterni, ægritudo continua adeoq; bonum commune parum attendetur negligenter promouebitur malè defendetur & vix iuſtè conſeruabitur.

Quod Reu.ma V.ra Pat.tas, maturrimè aduertens prænobiles, ſalubres, pretioſas, medicas & longè famoſiſſimas Thermas ſuas ex horribili, abominanda & valdè periculoſa ſpecu ad congruentem, amænum ſecurum abducere locum magnificè pertentauit & modo ingenti ſumptu rem in effectum perduxit.

Id verò non ſolū R.mæ V.ræ Celſ.di lau-

laudem memoriamque gignit percelebrem, ſed enim ipſimet Monaſterio accidit perquam vtiliſſime, commune iſtud patriæ magis commodum, altioris, medij & infimi ordinis hominibus acceptius, opulentis & inopibus, exteris & indigenis gratius eſt. · Summa. Omnibus Thermarum vſu indigis ad corporum defectus perſanandos, artus confortandos, optatamque valetudinem recuperandam aptiſſimum deinceps erit.

Ego igitur ad Reu.^mæ^ V.^ræ^ Celſ.^dis^ literas, & votum, quo vnuſquiſque huius pretioſi balnei vſu indigens, maiori fructu & vtilitate ijſdem lauari poſſit, demiſſe obſequenter pro tenui mea viginti duorum annorum experimentali obſeruatione, paucis id perſcribere debui, volui. Vt autem lægitima & breui id præſtem methodo, obiter duntaxat perſtringam: Ex quo minerali nobilis iſt-

hæc Aqua ſcaturiat: vnde ſibi ſuus feruor, quænam eius conditio, temperies, qualiter ad eam præparentur balneaturi, quomodo ea lauandum, contra quas præcipuè valeat aduerſas valetudines.

Ad ipſam nobiliſſimam, quod ſpectat, aquam, exoritur illa puriſſima duriſſimâ de rupe naturaliter & ſuoptè genio calida, cryſtallina, pellucida, abſque vlla ſordium fece aut reliquiarum adhęrente ſpurcitia, etiamſi forſan alicubi immobilis & pigra perſiſtat aut perenni meatu trãſfluat; idem ſibi aſſimilis ſemper calor ac tepela longè temperatiſſima, neque præferuida, neque perfrigida, nobiles continenter afflat vapores & halitus, potu, guſtu, ſapore pergrata, delectabilis, ſuauis citra vllum defectum, abſque contrario ſeu ſapore, ſeu odore. Etſi hæc Thermalis Aqua decoquatur igni, nullum ſedimentum in fundo comparet, neque

que porro ſpumam inſtar aliarum mineralium aquarum euomit, confeſtim quoque refrigeſcit, minimi eſt ponderis & ſummæ leuitatis. Quod in ipſa cū inſidemus animaduertere, hactenus collicuit. Etenim ipſum hominem emergit, eleuat, neque facilè quempiam exceptat. Vnde argumentum eſt, hanc ſalutarem & efficacem aquam ob ſummam ſymmetriam ex auro, ferro, ære, cupro ac terra ſigillata & exiguo ſale Nitro effluere, verum minimè ex ſulphure vt nonnullis perplacet, alioquin in ipſamet calor, ſaporuè ſulphuris perſentiretur, quod vel in minimo ſubintelligimus. Mineralia Fabarienſis aquæ.

Cæterum vndenam Thermales Aquæ calorem imbibant attrahantque multi multifariam. Alij ex calce viuâ, alij ex ſulphure, alij alijs ex rebus, nōnulli ex igne ſubterraneo in petrarum viſceribus abdito quod

quod omnium longè verisimillimũ: vt manifesta aliarum Thermarum exempla, historiæ, testimonia & experientiæ irrefragabiles.

Quæ fusius prosequi non vacat, atque id solum in medium afferemus quod Nicolaus Zenus Venetus de Monasterio quodam D. Thomæ, sub instituto S. Dominici in Insula Groenlandia sito, scriptis prodit. Esse nimirum procul ab eo, montem, Ætnæ instar igniuomum, ibidemque ignitarum aquarum fontem, queîs aquis non solum omnia illius Monasterij Monachorumque habitacula calefieri, sed etiam quodduis ciborum genus panemque nullo alio adhibito igne coqui. Tota Monasterij fabrica ex tophis constat, quos idem mons inter ebullientes flammas eructat, ardentes isti tophi cum naturâ habeant aliquid pingue, & sint solidi, hâc aquâ superinfusâ, extinguuntur, aridique & foramini-bus

bus rari atque leues relinquuntur; Aqua vero in bitumen tenacissimum mutatur; quo postea tophi in structuram conpositi, conglutinantur, solidissimumque opus contra omnem temporis iniuriam constituunt. Quin & horti quoque aquâ hac irrigati vario florum frugumque genere ferè semper rident. Situm est præfatum Monasterium in Oceani littore portumque habet satis capacem: quem fons iste flammeus influxu suo adeo tepidum efficit, vt nunquam, etsi plaga sit frigidissima, congeletur. Inde in portum tantus aquatilium pisciumque ex frigidioribus locis concursus, vt non modo Monachi, sed circumuicini etiam accolæ commodè vnde viuant, habeant. Hoc è Zeno loco exempli adduxisse sufficiat, pro ignibus subterraneis asserendis; nunc ad institutum.

Qui autem pretiosis his thermis

legitimè & vtiliter balneari desiderat, Is initio periti & excellentis Medici consilio rem aggrediatur, cui patefiant affectus quique, patienti necessaria quælibet; videlicet vnã alteramuè mediocrẽ præparationem, Laxationem vel etiam fortiorẽ exinanitionem, venæ incisionem præfigat, cordis confortationem procuret, tabulas roboratrices præparet naturali siti vitandæ, oppilatum corpus euacuet & si opus efficacioribus quandoque remedijs, prout ægritudo, natura & temperamentum exegerint; maturè in tempore suppeditet, ne corpus viscoso oppletũ humore, balneis vnquam insideat.

Regula balneaturi.

Quemadmodum enim vitrum, ampulla seu vasculum intrò maculata & sordida diu foris frustra colluuntur, antequam internæ sordes aut exeant aut euanescant: ita consimiliter res in homine habent, si interius putridis scateat humoribus, gratis tam-

tamdiu balneabit fine ſuo fruſtratus, niſi prius ritè expurgetur. Ea propter corpus continuò ante Thermarum vſum præuia alleuietur purgatione & ſanguis exactè purificetur. Durante balnei curâ patiens ordinatam viuat vitam; neque interim consultum tot leges & lotionum horas principio obſeruare, quemadmodū quidam crebrò infirmis ſuis inculcant. Legi complures ordinationes & regulas Patientibus abſque prolixiori & imperfecto Thermarum vſu impoſſibiles obſeruatu. Nam ſinguli tātū vtiq; valēt iudicio vt ſui corporis vires & cōditiones nôrint quidue cuiuſuis ferat natura, perſpiciant; Et verò ſingulis ſingulas balneandi regulas pro cuiuslibet tēperamento accomodatas tradere, erit inſani laboris. Quamobrem ſibi vnuſquiſq; lex, norma & Medic⁹ hîc eſto.

Ad experiendum poſteà, quibus Thermæ profuturæ; exploratum

habeo,

habeo, ijs initio ventrem ad dorsum retrotrahi, pedes manusque furtim vellicari, insolitam alacritatem & hilarimoniam tum in ipsis Thermis tum foris à balneo sentiri. At quibus contrariæ & minus vtiles futuræ sunt, illis venter statim tumefit; inflatur, turgescit tantæq; oboriuntur angustiæ, vt rumpendus existimetur.

Balneantis Regula.

Postquam paratus quis ad hanc balnei Curam sese contulerit, summopere præcauebit ne principio vel vllo vnquam temporis successu infarto ventriculo Thermis insideat; neque diutius quam vires naturæ commodè perferant, eisdem innatet, ne qua sibi incommoditas obueniat. Itaque naturæ suæ, affectui, & appetitui conuenienter per horas gradatim & dietim ascendens lotiones extendat donec ad Balnei vigorem deuenerit, tum per tres, quatuor, quinque sex vel quotquot dies necessitas poposcerit, easdem balnei sessio-

ſeſſiones æqualiter continuare poterit, Tandem vti gradatim aſcendit, ita deſcendet.

Inter balneandum, pax auditui, aluus continuò ad legem ſuam reſpondeat, ſin autem caſu abnueret, leuioribus pharmacis. E. G. prunis damaſcenis, paſſis vuulis, ſyrupo, pillulis laxantibus alijſuè eiuſmodi iuxta neceſſitatis qualitatem ad obediendum prouocetur. Scarificationi aſſuetus principio ſtatim quarto aut quinto die ac demum ſub finem lotionis, cum Epidermia diſparuerit ad ſolitas partes cucurbitulas apponet, hoc enim per quam maximè lotioni conducit. In eadem, Thermali Cura circa cibum, potum, laborem aut Venerem omnis vitetur exceſſus; quippè corpus ea vniuerſim notabiliter debilitant. Ante primam quoque ab epulis digeſtionem nemo Thermas introeat (niſi excoriatio corporis illum eò

compellat) ſiquidem hoc potiſſimum, concoctionem impedit & indigeriem cauſat.

Quia verò prænobilis hæc Aqua ſuaptè ſponte appetitum cibi prouocat, ijs præſertim, qui medicè viuunt, vt ſtomachum perpetuo in calore conſeruent debito, opimis & opiparis ſubinde veſcantur ferculis; Tragæa, tabellis Electuarijs, conditis & ſimilibus ad veſpertinam collationem, & cum ſub noctem Thermas frequentabunt, perquam moderatiſſimè fruantur. Qui ſecus in Balnei vſu faxit, nimium edendo, aut potitando modum tranſiliens exceſſerit, præter alias quamplures moleſtias inſignem, atque intolerandam incurret ſitim, quæ ſub tepido Thermalis Aquæ hauſtu potiſſimum reſtinguetur. Si qua deinde balneantibus ex aliqua hepatis forſan alteratione illegitima oboriatur ſitis, tum conſeruatiuum Acetoſæ,

Fabarienſis aqua ad ſitim ſedandã aptiſſima.

tosæ, Nymphæa, Boraginis, Buglossæ, violarum, Rosarum, radix cichoreæ condita, rob ribum, rob berberorum, Cytreorum & Aurantiorum expressus præparatusque humor conducent.

Tempore Epidermiæ seu excoriationis æger nunquam in apertum & liberum prodeat aëra, sed in calido sese contineat conclaui, frigus namque poris toto corpore patefactis, miram affert valetudini pernitiem. Vigente Epidermiâ deliquia & defectus animi à balnei egressu, dolores autem ad ingressum potissimi cooriuntur & quoad cutis denuo aquis emolliatur instar ignis aduriт. Quocirca Patiens sibi de conseruatiuis prouideat interim parciori, faciliori, at efficaciori vtatur cibo.

Post peractam verò lotionem quisque caueat intemperiem in cibo, potuque & Veneris vsu prouide-

atque sibi de esculentis, quæ sint facilis digestionis, abijciat pariter & omnino ab se ableget iracundiam, auaritiam, solicitudinem, curas, tristitiam, angores Melancholicos, nec non & alias animi perturbationes ac passiones demumque moderatè corpus exerceat & à frigidis studiosè declinet ventis. Quod si quispiam sibi videatur, Curæ suæ in Thermis non ex omni parte satis fecisse, poterit is domi iam constitutus prout temperamentum, ætas & ipsa valetudinis ratio poposcerit aliquantum optimæ Theriacæ in aqua aliqua artificiali commoda deluere, & tribus horis ante prandium vel cęnam haurire, ac post vnam siue mediam horam dein', mediante sudorifico balneo, superfluos humores per sudorem eijcere. Deinde vero, albo vino sese lauet ac statim tergat, & per aliquantam moram in lecto quiescat. Vices iterari poterunt

& multiplicari, si singulæ non sufficiant.

Aduertendum porrò quod Thermalis Aqua Artubus, coxendicibus, capiti ægrotanti, ossifragijs perperam curatis, contusis membris omnis speciei inueteratis morbis vlceribus & innumeris alijs affectibus. E. G. podagræ, gonagræ, chiragræ (si cum fructu curare intendat) intolerabilem & acutissimum afferat dolorem, præcipuè delicatis & imbecillibus. Verùm triduo, quatriduo, quintiduo aut pluribus diebus prout in partibus affectis maior minorué materia dissipanda insederit, dolor omnis absistit. Hiscè in Thermis perrarò excoriationem patiuntur, qui profundiora gerunt vlcera, vt puta qui mariscis, cancro & similibus ægrotant, nisi indefatigabilis violentia accedat, quod sæpenumero datâ operâ ex proposito animaduerti. Balneum Fabariense istis

contrariatur ægritudinibus Asthmati seu respirationis difficultati, pulmonum vlceribus, Lethargo, Cordis tremori, & vt aliqui tradunt, lui Venereæ, Econtrà medetur grauitati aurium, oculorum obscuritati, memoriam fidelem & viuacem reddit, & vniuersos sensus instaurat, obstructiones omnes dissipat, cerebri, renum & neruorum. Suauissimis item suis vaporibus & halitibus subfrigidos dissoluit capitis humores: Itemque naturali suo gratissimo calore singulos frigidos & siccos capitis similiter submouet dolores. Quare prudenter & constanter affirmandum omnes morbos quorum origo ex capite & neruis est, hac nobilissimâ Thermarum Aqua persanari: videlicet Cadiuum siue Comitialem morbum, quem alij Herculeum & Deificum, quo horribili malo tres afflictos præmissis præmittẽdis ad Fabarienses Thermas ablegaui

legaui & Opitulantib⁹ post Deũ hisce Balneis curatos recordor. Paralysim non modo totius sed & semicorporis & vnicè vnius mẽbri, videlicet Linguæ, brachij, pedis, oris, vesicæ & similia curat. Tollit insuper pedum, crurum & membrorum spasmos seu conuulsiones, artuum & neruorum resolutiones, ictus, plagas, contusiones, distentiones. Proficit ossifragrijs, luxatis dimotisque pedibus, tibijs, brachijs, manibus, dorso, Oculorum suffusioni & vniuersis succurit doloribus eorũdem, ipsos elucidat, mundificat & exsiccat, Rursus articulorum dolores amouet scilicet Podagræ, gonagræ, chiragræ, Ischiaticos, humerorum & crucis dorsalis. Auffert ossium, carnis & Arteriarum dolores, eorumque sicut manuum, & pedum tremorem. Conducit delassatis & frigefactis membris perpetuo insomnio, delirio, insaniæ & maniæ. Valet contra calculum, renum affe-

ctus, nam in quadam Nobili matrona mira perſpexi, quemadmodum lapillos minutatim commolitos expulerit. Similiter in ſpectabili Domino quodam cui diuturnus renum frigefactorum dolor eximius & vrinæ guttatim ſoluendæ ingens difficultas, perquam optimè profuiſſe commemini.

Ex diuturna ægritudine conualeſcenti ſummoperè adiumento eſſe explorauimus, Iecoris oppilationes, & lienis, ante omnia diſſoluit. Menſes Mulierum ſine lege fluentes ad normam reuocat, lenit dolores, reducit fæcunditatem ſicut & viris virilitatem. Matrici eiuſque nimiæ ſeu frigiditati ſeu humiditati medetur. Ictero reſiſtit, hydropi, febribus etiam quotidianæ, tertianæ & quartanæ &c. Potiſſimum in eo huius balnei virtus latiſſimè celebratur, quod omnis generis vlcera, vulnera & patētia apoſtemata brachiorum, crurum, mammillarum, hone-

starum partium & toto corpore sparsim constituta mala corrigat, etiam ex peste reliquias, cancri Voracitatem quemadmodum in honestiori matrona memorabile & euidens expertus fui exemplum. Scabiem pariter auertit & recentem lepram, macredinẽ & vniuersos sinistrè persanatos defectus vetustos, sclopetorum ictus, & plumbeos in corpore globos cientes dolorem euellit.

Tabem seu defectum membrorum emendat, dentes mundificat, albefacit & gingiuas roborat. Alia postremum innumera hominis quà foris, quà intro mala hic Fons percurat. Quamobrem ob multiplicia sua dona DEO singulis horis gratiæ meritò referendæ; Ill.ma verò D.nao V.ra quæ tam salubrem & celebrem Fontem ad commodiora deriuauit loca, æternum celebranda.

Hæc Zacharias Belli à Bellfort D. Medicinæ.

Caput XX.

LEGES THERMARVM.

IODOCVS DEI gratia Abbas liberi Monaſterij B. Mariæ Virg. apud Fabarias, Ord. S. Benedicti; vniuerſis qui noſtras haſce liberas Fabarienſes Thermas, ſeu propè ſeu peregrè inuiſerint, Eccleſiaſticis, & ſecularibus, diuitibus ac pauperibus temporariam & æternam cum ſequentium notitia ſalutem & à Deo felicitatem. Siquidem nobis Thermarum Fabarienſium Iudici ac Domino, iudicare, præcipere & prohibere, leges ferre, edicta condere, & variare, eorumque tranſgreſſores plectere ab Officio incumbit. Et vt inter hoſpites, qui has noſtras Thermas frequentant, quies, tranquillitas, & concordia, omniſq; honeſtas decorũ ac pudicitia obſeruentur, malitiæ, petulantiæ, diſſolutioni

& mo-

&morũ corruptelę occurratur, omnesq; & singuli ab eiusmodi sese prudenter vitijs abstineant, nostrarum esse partium arbitrati, maiorumque nostrorum laudabili inhærẽdo consuetudini, quemadmodum & in alijs Thermis, fieri assolet, Thermarum statuta & leges litteris mandari ac palam in acta referri iussimus. Quæ omnia, citra veniam, sub infra scriptis mulctis obseruari, ab immorigeris autem & violatoribus ob excessus & transgressiones per nostros Thermarum Magistros & alios Officiales mulctas exigi & pænas irrogari seriò mandamus.

Primò ne alter alterum pugnis vel colaphis inuadat vnquam, grauiter prohibemus, qui secus aut intra aut extra Thermas temerè fecerit, mulctâ decem pondo denariorum luet. Item si quis alium ense, pugione aut cultro præter contraque Thermarum immunitatem petiuerit,

rit, iuxta Iuris ordinem & exceſſus conditionem Capitis & bonorum omnium accuſabitur. Quiſque ſua arma, quæ ſecum affert confeſtim apud Cauponem, quoad Thermarum curam abſoluerit deponito sub mulcta vnius libræ denariorum.

Deinde rurſum ſeriò præcipimus, ne quis alteri moleſtiam vllam, aſperſione, ſubmerſione, aut impudentiori balnearum inſultu inferat; Qui contra faxit, liberam vnam denariorum pendet. Sin vlteriores inde forſan contentiones oriantur, Iure in ſcelus animaduertetur.

Tertiò ne vllus Thermas ſeu vomitione ſeu naturæ ſeceſſu aut alia qualibet re commaculet inhibemus. Porrò tranſgreſſor duabus denariorum libris cadet. Eius rei delator ab lotionis pretio immunis erit. Similiter qui domicilia, ſcalas aut vias tali conſpurcauerit immunditiâ, pondo denariorum luet.

Quartò

Quartò ſub duum pondo denariorum ſeriò inhibemus ne vlla vnquam erga fæminas procacitas exerceatur ſeu inhoneſta contrectatione ſeu verborum aut geſtuum laſciuia, vt ſcandalorum & ſcelerum omnis amputetur occaſio.

Quintò itidem nefas eſtò vnquam in balneis pudorem aperire, aut ſimili impudentia inſoleſcere ſub vnius libræ denariorum mulcta: Quin & grauiſſimè omnem illic ſcortationem prohibemus. Quod ſi eiuſmodi forſan malum deprehenderetur, Thermarum Præfectus delinquentem nobis reſeruata pœna deferet, & grauiſſimè ad noſtrum Arbitrium puniet, refractarios, & forſan huius delicti reos ad Monaſterium vinctos adducet.

Sextò prohibemus, ne alius alium poculis inſolenter poſcat, inebriet vel ad vomitum ingurgitet, ſecus factitans pondo denariorum in

mulctam adnumerabit. Qui in ebrietate malè precatus fuerit, Deũ blasphemauerit, alium in honore, bono nomine aut fama læserit, pœnam subibit quatuor pondo denariorum. Et si ex memorata temulentia simultas nasceretur, iure in reum & auctorem agemus: Nec quisquam de vinolentia & crapula se excusabit. Nemo insuper absque nostro exerto consensu aliunde vinum in Thermas inferet, aut inferri iubebit sub duum pondo denariorum.

Septimò Neofidei amantibus quamdiu in Thermis sub hærent vt suam Doctrinam opinionemque, ob vitanda scandala, nunquam exerceant præcipimus, nec Clericos neque Laicos ad dissertandum secum in fidei rebus vnquam prouocent, omnes quietos & pacatos sinant, nullos lacessant conuicijs sub pœna trium librarum denariorum, toties,

toties, quoties: quod ſi inito certamine & diſceptatione quippiam exinde inſolentiarum ſcaturiret & contumelioſè conuitiando quis inſurgeret, in eum ius dicetur. Ad hæc ab Germanicis Rithmis cantandis, ipſi perperam Pſalmos vocant, penitus ſub prædicta mulcta, abſtinebunto, ne veluti ſuperioribus annis vſuuenit complures tricæ & animarum diſſenſiones ſubincidant; Præcipuè quando inconditæ tales cantilenæ in Catholicorum ludibrium canerentur, quo facto facillimè ſimultates & diſcordiæ ſuccreſcerent. Porrò nimium cantabundis per nos licebit, pias aut alias honeſtas cantiones dũmodo id temperatè fiat, aliquando cantillare, neque præterea Thermas quiſquam importuno clamore replebit: Ne inprimis ſenes & qui à capitis debilitudine laborant nauſeabundi Thermis intereſſe vel excedere inuiti compellantur.

Octauò cum mané, meridie & veſperi Thermarum Inſpector æs campanum ad ſolitas inſonuerit preces garritũ, cantum & colloquia omnes interrumpunto, Deum non modo pro corporis incolumitate comprecantes ſed & pro ingenti hoc munere prænobilis aquæ altiſſimo Laudes grata mente recordantes. Inter pulſum immodeſtius & indecentius obſtrepens aut muſſitans tribus pondo denariorum mulctabitur.

Nonò tametſi hoc præcellens & imperſcrutabile magnum Dei donũ calentium Thermarum Aquarum, ſit liberrimum Balneum, nec opulentis, nec inopibus domeſticis aut peregrinis vetitum, ſed vniuerſis qui Thermarum ſtatutis pariturі accedunt pateat, atque tantundem vnicuique illic ſibi deligere & occupare ſpatij, quãtum neceſſitas expoſcit & locus patitur, liceat. Nolumus

tamen,

tamen, nec ratum gratumuè habebimus vnquam, vt minor ſeu dignitate ſeu ætate maiori quo ad ſedem locumuè in Thermis præponatur, ſed Thermarum Præfectus quàm diligentiſſimè curabit vnumquemque quantum locus feret pro honoris dignitatiſuè ſuæ gradu, non vero pro ſuopte arbitrio in balneis collocari. Huius rei tranſgreſſor ad Præfecti Thermarum iudicium reapſe mulctam ſuſtinebit.

Decimò pariter indictum edictumque volumus; Quod ſi temeritates quædã petulantiæ, & indecentiæ etiã hiſce legibus non conſcriptę exerceantur, veluti hic adſcriptæ forent minimè impunes tranſeant: Verum iuxta delicti menſuram erit & pœnarum cõditio rigorq;, ſin', autẽ noſtræ correctioni acquieſcere quiſpiam abnueret, de eo iure cognoſcendum eſt, qua vniuerſi rem nobis maximè cordi eſſe experiantur.

Præfectus Thermarum Caupones eorumuè famuli, ſi fortaſſis impares eſſent virib⁹, tum Vicinos ſub feudorum & officiorum ſuorum amiſſione conuocabunto, qui tranſgreſſores nobis puniendos adducant tradantque.

Demum Præfectis & Thermarum Cauponibus mandamus ne alibi iniquè traducamur, perinde acſi neminem debito ordine & honore obſeruare cuperemus, vt iuxta iſthæc Thermarũ ſtatuta ſine vlla erga reos conniuentia accuratè inprimis & tenaciter procedanto. Summatim in noſtris liberis Fabariæ Thermis omnem morum diſſolutionem, petulantiam, ſcandala, rixas, ſimultates, impudentias, impudicitias, Vinolentiam, præcipuè maledicta, diras, blaſphemias & adeò vniuerſa delicta & ſcelera, & quæ peregrinis hoſpitibus, Cauponibus, & Thermarum Præfectis moleſta eſſe vllo

modo

modo queant, penitus abeſſe volumus: Viciſſim autem legitimam politiam honeſtatemuè illic obſeruari mandamus, quo vnuſquiſque ſua impenſa ad animi votum, ſine alterius impedimento, iucunde & commodè in Thermis perfruatur. Et nè altiſſima DEI Maieſtas hic vel leuiſſimè offendatur, verùm de ſuperexcellenti dono tam ſaluberrimi Fontis (cui in orbe vix quippiam ſimile) quem admirabili dono ex tenebroſa & formidabili ſpecu ad infinitorum ſalutē liberaliſſimè eduxit; laudetur & prædicetur.

Permittimus porrò etiam vnicuique ac ſingulis hoſpitum vt ſi non ſatis amanter, ac pro loci conditione decenter à ſuo Caupone, ad quem primo ingreſſu diuerterunt, tractarentur, perſoluto prius debito precio, ad alterum licitè tranſire atque apud illum alterum cæptam lotionē perficere poſſit, quos retinere, vel

impedire, nulli omnino hominum concedimus. Demum omnes ac ſingulos rogatos cupimus vt qui à notabili aliquo malo affectu hiſce in Thermis DEI munere liberantur, id Cauponi quiſque ſuo dum adhuc ſubſiſtunt, vel alibi fortè cōmorantur (ſolet enim aquæ Virtus magis ſe poſt peractam balneationem prodere) velint ſignificare, vt eo latius DEO Laus, ad aliorum etiam ægrorum ſalutem diſpergatur.

Omnipotens vniuerſis hoſpitibus quorum vnumquemque pro ſtatus & dignitatis ſuæ conditione cum honore affamur, exoptatam & cupitam Sanitatem gratioſè & liberaliter condonet, & cuiuis cæptam balnearum curam fæliciter fortunet, & ad maiores ſui glorias diutiſſimè conſeruet incolumes ſingulos & vniuerſos. Mandatum & Datum, in Monaſterio Fabarienſi.

Die decimo Maij Anno à Seruatoris Natali M. DC. XXXI.

Caput

Caput XXI.

LEGES PRÆFECTI THERmarum, Cauponum Ac Famulorum.

INPRIMIS Præfecto Thermarum, vt hospites lauantes debito honore & beneuolentia colat & obseruet, quà diuites quà pauperes, & ne vlla eisdem inferatur, molestia, sed in bona pace & quiete degant curet, præcipimus seriò. Idem vt quotidie mane, meridie & vesperi Angelicæ salutationis signum pulset, lumen Thermarum, quod singulas ac totas noctes ardebit, studiosè incendat, erga hospites vniuersos comem se præbeat: Thermarum statuta, ne de ignorantia quispiam conqueratur, bis hebdomodatim Mercurij & Sabbathi diebus palam legi faciat, sub mulcta vnius pondo denariorum.

Secundò Thermarum Inspectori mandamus vt sana vegeta, validaque Mendicabula ex Thermarum loco exturbet ne cui hospitum res suæ vt crebrò factum meminimus, forte sublegantur. Et eiusmodi leues Mendiculos, ne qua hospites molestia afficiant, coërcendi absolutam obtineat auctoritatem. Idemque vt domesticos omnes siue ij mercenarij famuli siue quicunque alij fuerint, in profestis & Sabbatho ad Thermas, si angustiæ hominum ita suadeant penitus nunquam admittat, sub mulcta vnius pondo denariorum.

Tertiò. Præcipimus quoq; Thermarum Inspectori & Cauponibus, vt famulos suos ad transitus, scalas intraque domos diligenter mundandas crebrius vrgeant: Thermarum Præfectus aream balnei & balneum ipsum debitè eluat, quo omnis fætor propellatur, sub mulcta duum

pondo

pondo denariorum. Porro neque hospites, neque famuli aut quisquã alius Fontem apud ædes turbabit vnquam, nec ibi carnes, intestina, aut immundas vestes lauabunt, sed aquã mundis vasis è fonte excipient ad lotionem quarumuis rerum, quò fons lympidus purusque ad culinæ potusque vsum semper deueniat. Sub pœna toties quoties trium librarum denariorum.

Quartò præcipimus ne vllus Thermarum vel Valensensis Caupo, hospites aut famuli sibiinuicẽ lenocinijs aut quouis astu auertant, hospites aduenas, sed quo quisque animum primo intendit diuertere sinatur, sub mulcta decẽ pondo denariorum. Ceterùm seriò tam Cauponibus quàm Thermarum Magistro mandamus, ne citra nostrum præscitum, penes mulctas aut similia ab vllis fraudulenter emulgeant, aut dolo malo lites componant, nobisque


mulctas ſubtrahant. Quod ſi præter opinionem noſtram id accideret, magna indignatione & pœna vindicandum intelligetur.

Poſtremo Cauponibus mandamus vt mundiſſimis lagenis vtantur, nam ſi fortaſſis vinum in earum vaſis, quod ante ipſis ſuaueolens & integrum dabatur aceſcat, aut corruptum eat, lagenæ fruſtatim confringantur: ſin autem Cauponi in Thermas mali odoris, aceſcens aut fugiens vinum afferetur, is errorem confeſtim Ragazenſi noſtro condopromo, vt vitium emendetur indicabit.

Nullus porrò vnquam Caupo aut Thermarum Præfectus ſine noſtro aſſenſu & arbitrio in Antrum habitationis gratia immigrabit. Verum quot annis tempeſtiuè licentiam á nobis impetrabunt, in Thermis verò tamdiu hoſpitabuntur donec nobis viſũ fuerit vtſi plures forſan balneaturi

turi superuenirent, tum eis esculenta, poculentaque alia necessaria Caupo prouidebit. Præfectus Thermarum sub mulcta vnius libræ denariorum, quoties iusserimus sese sine mora præsentem sistat: Nisi Dei dispositu aut vrgente de causa impediretur.

Caupones Thermarum hospitibus patrum loco erunt, omnesque modestè & honorificè, amanter, pro status natura tractabũt ac pro lectis, cubiculis & hypocaustis decentem exigent pecuniam.



SVPPLEX AVCTORIS suspirium.

Ad B. V. M. Assumptam, Fabariæ Patronam.


AVGVSTA DEI genitrix. Pia Fabariæ Mater. Fa-

ue. Salue. Quamuis tua potestas nullis coarctetur finibus ac totum impleat orbem miraculis; quia tamen pro voluntate sæpius vno magis, quàm alio delectaris loco; & Fabarij placitam tibi sedem, à nongentis annis fixam, stupendo & continenti exornas patrocinio: Ego infelix peccator mente & animo ad te recurro: (nam & peccatores audis, & pluries pessimo das optima supplicanti nunquam Nouerca) te, supra quam nihil nisi Deus est, precibus imploro atque inuoco. Fabariæ tuæ, ita deinceps, vt clementissimè consuesti, fideliter patrocinare, medicatum Fontē

Orbi potenter perennem conserua, beneuolēter Nymphæo velis & facito, ægros quotquot libenter admitte, balneantes feliciter restitue, incolas gratiosè respicito, montium vastissimorum molem stabiliter firmiter sustenta, accuratè salua vniuersos indigenas aduenas. Quæ omnia per te vis ô bona, per Filium autem potes, ô magna! ô admiranda in æternum! Intertim hanc, ô Pia Fabariæ Mater, lucubratiunculam ante & post Ill.mum loci Abbatem, tibi cumprimis debitam; dicatam, lucubratam accipito, meę seruitutis signū. F. Augustinus Murensis. An. Hum. Sal. 1631. Die 1. Maij.

nostræ S. Walpurgi Virgini Sanctimoniali sacra.


AVGVSTA DEI GENITRIX

SALVE, FAVE.

HIc tandem iam saluberrimæ Fabariensium Nymphæ manum exosculans supremum valedico, & hoc opusculum claudam, in quo quæcunq; scripsi ea omnia libens lubens Maiorum arbitrio & Doctorum Virorum censuræ submitto: si quid ignaro elapsum, quod sapientum & piorum iudicio minus probetur, improbo, damno, & pro non scripto haberi volo, cupio, Voueo.

LAVS DEO AQVA-
RVM CREA-
TORI.

IN-

INDEX CAPITVM,

Proloquium & Auctores fol.

Partis Primæ.

Partis Posterioris.


XV. *Fon-*





INDEX





INDEX RERVM MEmorabilium quæ hîc tractantur.

An-

Com-

F.

G.

H.

Hippo-

Mine-

a.

Artethica.
Arthritis.
Articulorum reſolutio.
Artuum dolores.
Auditus grauitas.

c.

Calculi renum & veſicæ.
Calidi item & frigidi affectus.
Comitialis.
Cancer.
Capitis dolor.
Cerebri & neruorum obſtructiones.
Colica.
Coxendicum dorſi & neruorum obſtructiones.

d.

Debilitudines.
Delirium.
Diatetica.

Mam-

S.

T.

FINIS.





Errata corrige.

Fol. 27. 4. lin. biuium 89. 8. copiosissima. 98. 21. Symptomata. 142. 1. assensus. 159. 10. suomet. 165. 20. auribus.

